

P V I S


1 6 1 1



EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS:

*MF. 11*






9









Epistola Apologetica  
**FRIDERICI**  
**BALDUINI,**  
S. Theol. Doctoris ac Profes-  
soris V Vittebergensis:

*In qua respondetur ad Epistolam M A R-  
TINI BECANI, S. Theolog. Doctoris ac  
Professoris Moguntini, nuper editam, qua  
NOTAS de Communionem sub utraq; specie  
leviter perstringere conatus fuit: salvâ in-  
terim & intactâ manente veritate  
doctrinae Lutheranae in hoc  
articulo.*

OMNIA AD GLORIAM DEI.



VITTEBERGÆ,  
Typis JOHANNIS GORMANNI,

ANNO M. DC. X.



In nomine domini Amen  
**RICHARDUS**  
**EPISCOPUS**  
 salutem in domino sempiternam  
 omnibus dilectis filiis...  
 Quia...  
 Nos...  
 Quia...  
 Nos...  
 Quia...  
 Nos...  
 Quia...  
 Nos...  
 Quia...  
 Nos...

p  
 p  
 v  
 i  
 n  
 a





FRIDERICUS  
BALDUINUS

Martino Becano

*Sanam mentem in corpore  
sano P.*



Pistolam tuam, Becane, accepi Pragæ, in comitatu Serenissimi Electoris Saxonix, Domini mei clementissimi: ubi cum negotia alia tempus legendi primùm interciperent, seponerebam eam ad dies aliquot, tanquam peculiare aliquod *κειμήλιον*, cui fortè suo tempore *τὰς ἀμοιβὰς* deberem. Interea verò ab ijs, quibus eam dedi legendam, intellexi, non nisi *πάρεργα* mihi transmitti pro *ἔργοις*; de cæteris, quæ ad questionem nostram, *de communionem sub utraq; specie* directè pertinent, ne hilum quidem afferri. Vix adducebar equidem ut crederem



EPIST. APOLOG.

August. lib.  
3 cont. Cre-  
scen. c. 10.

derem : nam melius aliquid de te mihi  
persuaseram: sed non malè ad me relatum  
esse vidi, postquam ipsemet pagellas istas  
legendo percurri. Revera enim exem-  
plo tuo comprobasti, aliud esse, *respondere*  
*petuisse & tacere noluisse*, quod Augustinus  
de suo quondam Grammatico dicebat.  
Existimabam, te veritati tam manifestè  
in lucem productæ cessurum: aut, si o-  
mnino aliquam mihi gratiam relaturus  
esses, te vestigia mea secuturum; aut si in  
ista luce veritatis τὴν θεῶν φυλάττειν ad-  
huc cuperes; ea saltem, quæ scopum di-  
sputationis tuæ tangunt, summarim exa-  
minaturum: sed nihil horum factum.  
Relictis illis, non dicam scrupulis, sed  
scopulis, ad quos carinam tuam penitus  
allisisti, jam in margine piscaris, & quasi  
rem omnem probè expediveris, iis, quæ  
non nisi incidenter Notis meis inserta vi-  
debas, dentem infigis, eaque miserè lace-  
ras, divellis, lantias, ut non dubitem, te  
genuinum tibi ipsi effregisse. Quid enim,  
quæso, ad disputationem de utraque spe-  
cie in communione Eucharistica, quærere  
*de efficacia benedictionis Christi? de*  
*raptu Pauli in tertium cælum? de trans-*  
*substantiatione, an Patribus nota fue-*  
*rit?*



FRID. BALD.

rit? An Christus porrexerit Eucharisti-  
am ante vel post lotionem pedum, & si-  
milia; quæ tamen obscura quadam & inu-  
tili diligentia persequeris, perinde ac Or-  
bilus ille, qui pueros suos Grammaticam  
docturus, totam anatomiam capitis  
infarsit, eò quod *Capitis* voculam regulæ  
cuidam exempli loco subscriptam vide-  
bat. Ubi interim, quæ familiam ducunt  
in hac controversia? Cum de Lege lis o-  
ratur, ipsa Lex inspicienda est, inquiunt  
Jurisconsulti: quantò magis cum de ali-  
quo fidei articulo controversia movetur,  
ad sedem illius articuli recurrendum est?  
Nullam autem hujus controversiæ sedem  
aliam scimus, quàm verba Institutionis  
Christi. Quis enim melior est verborum  
suorum interpret, quàm qui ea primùm  
protulit? Sed de his quid Epistola tua?  
N I H I L. Disputatio tua perpetuò in ore  
habebat Exemplum Christi & Apostolo-  
rum, quo mutilationem S. S. cœnæ stabi-  
lire conabar: Responsum fuit non dicã  
solidè, dicant hoc alij, sed saltem suffici-  
enter: quid ad hoc Epistola tua? N I H I L.  
Sæpissimè objiciebas consuetudinem Ec-  
clesiæ: accepisti Responsum: quid verò  
Epistola tua? N I H I L. Excogitasti du-  
plicem

A 3

plicem



plicem Sacrosanctæ cœnæ institutionem,  
 unam pro clericis tuis, alteram pro laicis.  
 Monstrata figmenti hujus absurditas: &  
 hic saltem opinabar, te novitij hujus do-  
 gmatibus excogitasse etiam fundamenta ali-  
 qua, quæ ad speciem saltem opponere  
 posses; sed quid Epistola tua? T A C E T.  
 Legisti absurda quam plurima, quæ ex  
 concomitantia vestra sequuntur: Ad hæc  
 quid Epistola tua? T A C E T. Multa in pri-  
 mis disseruisti, quod communio utriusq;  
 speciei instituta quidem fuerit, sed non  
 præcepta. Vidisti vicissim in Notis me-  
 is probationes satis multas & luculentas,  
 quòd species utraque fuerit à Christo in  
 institutione præcepta. In hac Rhodo ti-  
 bi vel in primis saltandum fuisset; scimus  
 enim, hanc esse quasi tesseram & infallibi-  
 le symbolum Ecclesiæ verè Catholicæ,  
*Oves meæ vocem meam audiunt, Joh.*  
*10. & docete eos, quæ ego præcepi vobis,*  
*Matth. 28. & in præceptis meisambu-*  
*late & facite ea, Ezech. 20.* In eo igitur  
 laborandum tibi fuisset, ne videreris  
 contra præceptum Christi, hoc est, con-  
 tra principium Religionis Christianæ di-  
 sputasse. Quid enim præmij talibus di-  
 sputato-



Spūatoribus in scholis dextrè disputantium sic relictum, latere te non potest. Sed quid facit Epistola tua? Etiam hic  
TACET.

Fateris ipse in Epistolâ tuâ pag. 6. hæc & similia à me disputata, *directè ad rem pertinere*. Mirantur itaque multi Boni, cur ea *directè ad rem pertinentia præterire*, & tandem, non nisi *παρεργως* respondere volueris. Excute conscientiam tuam, & da gloriam Deo, mi Becane: Fateberis nobis hoc etiam, fat scio, vim veritatis in iis, quæ *DIRECTE* ad rem pertinent, silentium Tibi imperasse: sed amorem Synagogæ tuæ illamque scribendi consuetudinem *παρεργως* ista extorsisse. Ego verò quid facerem? Sanè non deerant amici, qui Responsionem ad Epistolam tuam supervacaneam putabant. Persuasi enim erant, te non nisi diverticulum & occasionem dilabendi à scopo istâ tuâ Epistola quæsiuisse, meque quæstionibus aliis involvere voluisse, & quidem ejusmodi quæstionibus, quæ profectò ad usum Reipublicæ Christianæ parum faciunt, in quibus etiam, ut tempus teratur, operæpretium adeò non sit.

A 4. Horam



Horum sententiæ facile subscripsissem, præsertim cum alioquin satis habeam, quod agam, quibus forte Ecclesiæ Dei utilius, quam hisce altercationibus intervire possum: sed, quia noti mihi sunt hominum vestrorum mores, qui ex solido silentio occasionem impudentiæ quærere, & causæ pravitatem arguere solent; quasi is semper sit potior iure, qui postremus in scriptione, quia etiam in hisce chartis tuis, aliqua occurrunt, in quibus candorem tuum verbis meis vim fecisti; & denique quia responsuro mihi *plagam* minaris pag. 53. aliter sanè facere non potui, quam ut pauca reponerem iis, quæ ex Notis meis excerpere voluisti: ne vestris hominibus cavillandi, nostris suspicandi, tibi ipsi, quasi minis tuis essem mortuus, ante victoriam triumphandi occasionem præberem.

Consideranti itaque mihi Epistolam tuam, quatuor potissimum occurrunt capita, ad quæ, quasi ad locos quosdam communes, omnia tua *ἀντιπίπτα* referri possunt:

Primum voco *λεπτολογία* vel *Ineptias*:

Alterum *Calumnias*:

Tertium *Ignorantias*:

Quartum *Absurditates*.

Libenter



FRID. BALD.

Libenter equidem parcerem hisce titulis, si tibi ipsi parcere velles. Sed quia & veritati divinæ, & famæ meæ à te manifesta facta est injuria, utique non succensebis mihi, si eam, sub qua latitas, modestiæ & eruditionis larvam ita detraham, ut omnibus appareat, Epistolam tuam tam amicam non esse, quam verbis primùm præ se ferre videtur. De singulis tamen ita tecum agam, Becane, ut videas, me neque causæ meæ pudere, neque tamen modestiæ limites præterisse; tu modò pro tua ista, quam præ te fers, humanitate, candide isthæc omnia interpretare.

## CAPUT I.

*De λεπτολογίαις & Ineptiis  
Becani.*

Ad hanc classem refero hæc sequentia: 1. Mox ab initio scribis, Becane, me provocasse te ad scribendum, vel potius ad litigandum. Quod de provocatione scribis, magni momenti non est, neq; si id à me factum esset, malè te habere deberet. Idem enim & tu facis conceptis verbis pag. 29. lin. 18. Et est interdum provocatio amicitiae signum, & in controversiis ali-

A 5

cujus



cujus momenti, magnam sæpè vim habet ad eruendam veritatem: quæ juxta Nazianzeni judicium, ejusmodi disputationibus trita in lucem profertur, & ut lapidum conflictu attritūque ignis; ita inventis argumentis explicatisque, verum elicitur, & veluti exprimitur. Et hoc animo si tu Disputatione tua Lutheranos, Hussitas & Calvinistas provocasti, fortasse malè non fecisti. Agnosce modò, te priùs in arenam prodijisse, & non uni vel alteri, sed omnibus Adversarijs vestrorum dogmatum bellum indixisse. Quod ergo, tacentibus triarijs, ego quasi ex velitum cohorte prodij, & clypeum veritatis ictibus tuis opposui, noli quæso hoc meum officium, ut provocationem, traducere: λεωτολογία hæc nimis manifesta est: quæ transeat.

2. Sed quod ad *Litigandum* te provocatum ais, id verò nimium prodit impotentiam animi tui. Quid enim existimas, mi Becane, Túane, quæ scribis omnia tam Achillea sunt, ut nemo contra hiscere audeat; aut si quis ausit, is Litigiosus tibi erit? acclamandum protenus: *Bellè, probè, rectè.* Quod si controversias Theologicas lites nominas: næ, si quisquam  
alius,



alius, tu vel imprimis quotidie litigas. Sed scio, te melius sentire, quam scribere: nosti enim illud Chrysostomi: *Disidia cum haereticis habere, non est contentionis, sed pietatis.* Haud dubie itaque ineptam istam vocem Impatientia tibi extorsit.

3. Pergis, & te Calvinistas haecenus, non Lutheranos, tibi hostes & Adversarios delegisse, scribis. Scio ita te solere referre ad alios: & cum Libellus meus jam excusus esset, scripsit ad me ferre eadem amicus quidam, cui tu ista superiori anno, quasi in aurem dixeras: *nolo*

*contra quemquam Lutheranorum scribere: rationem tui consilij ignoro, nisi forte, quod eos simpliciores esse judicas, sicuti alicubi eos nominas. Et haud ita pridem nescio quis Cudsemius in suo apud vos edito tractatu, te magnum athletam & Calvinomastyga vocavit. Cum polyphemis itaque haecenus certare voluisti; nos simplices Pygmaeos missos scilicet fecisti.* *\* In Aphorism. Cal. vin. p. 4. Petrus Cudsemius in Desperata Calvinii causa cap. 4. p. 55.*

Verum id haecenus nemo eorum, qui cerebrum non habent in calcaneis, intelligere, nedum credere potuit, te Calvinianos solos tibi delegisse hostes. Aliud enim tituli tuarum disputationum pollicentur. Et haec nupera tua de Communione *in Hussitas*

Lut. e-



*Lutheranos & Calvinianos* ex professo scripta est: in qua *Lutheranos* expressè maximarum absurditatum & impietatum reos agis: quas sanè ab Ecclesijs nostris depellere æquum fuit, imò, ut nunc sunt tempora, necessarium. Desine igitur hoc pacto te excusare, nihil prorsus ad rem facit: multò minus scribere perge, te lacessitum à me esse. Ineptorum pugilum hoc est, cum pro sua libidine totas acies provocarint, & postmodum nil tale metuentes vapulant, querulantur, se lacessitos esse ab ijs, contra quos pugnare nunquam cogitarint.

4. Sed nondum finis est. *Libellum meum paucis diebus ante nundinas te accepisse, eumq; jam primum prodijisse in lucem* ais p. 8. & 52. Et hæc tu ais, nescio in quem finem, nisi ut fortè per inepriam quandam laudem expediti ingenij aucuperis, ut qui possis quasi stans pede in uno calamo tumultuario satisfacere Adversario. Sed vereor ne satisfeceris proverbio: *Canis nimiū properans cecos parit catulos*. Quid si verò hic quoq; aliter sentias, quàm scribis? Nam *Libellus meus* jam anno præterito, ipsis nundinis autumnalibus, sub prælo fuit, cujus titulum haud dubiè



dubiè jam tum legisti in Catalogo Lipsensi. Legit certè Canonicus quidam Erfortensis, amicus tuus singularis, qui & Scheda huc missa exemplar sibi transmitti petijt, tibi fortè communicandum, & eo ipso autumno impetravit. Hoc igitur prætextu tuo non invenies, quod venabaris.

5. Porrò pag. 9. & 10. ita ineptis: *Si Iohan. Hussus ante duo secula solidissimè refutavit mea argumenta, ut tu asseris: quid necesse erat, te iisdem refutandis operam perdere? Vel tu melius id præstas, quàm ille, vel deterius. Si tu melius, quomodo ille solidissimè? Si deterius, in quem finem? an ut despici & rideri possis? &c.* Et hoc tibi explicari vis. p. 6. Res magna est, & nodus omnino Gordius, quem quasi ex tempore fecisti. Eum verò, quia ita vis, sic explico. Si Bellarminus vester ante multos annos solidissimè refutavit argumenta nostra pro communione utriusque speciei, ut haud dubiè omnes opinamini, apud quos ejus arma currusque fuerunt, quid necesse erat te iisdem refutandis operam perdere? Vel tu melius id præstas, quàm ille, vel deterius. Subsume  
cætera



cætera Becane, & habebis explicationem nodi tui, qui te tantopere torfit. Meminisse debebas, quid *Augustinus* de libris scribendis dixerit *lib. 1. de Trinit. cap. 3. utile esse plures à pluribus fieri, diverso stilo, non diversa fide, etiam de questionibus eisdem, ut ad plurimos res ipsa perveniat.* Hussum autem ideo adduxi, ut constaret, te veterem saltem opponere cramben, tuiq; officij fuisse, ut ea, quæ Hussus vestris ratiunculis opposuit, solidè refutares. Quod quia non fecisti, possem & ego dicere: *In quem finem nō respondisti? an ut despici & videri possis (nam ridetur, chorda qui semper oberat eadem.) Hoc alia via poteras assequi.* Non itaq; ægrè feres, quod & hoc lemma cornutum inter Ineptias retuli.

6. Similis est λεπιγλογία in eadem pagina, cujus explicationem itidem à me petis, nimirum, quod (si tibi creditur) Hussum errasse scribo eò, quòd c. 6. Joh. de Sacramentali manducatione interpretatur, & tamen solidissimè ipsum omnia refutasse dico: quæ tu conciliare non potes, si quidem existimas, errasse Hussum, ubi posuit fundamentum communionis sub utraq; specie. Ego verò ubi scripserim, Hussum



sum c. 6. Joh. de Sacramentali manduca-  
tione interpretatum, aut illud fundamen-  
tum posuisse, communionis sub utraque  
specie, non memini, sed contrarium habes  
in præfatione libelli mei ad Lectorem his  
verbis: *Hussus noster ad verba Institu-  
tionis nobiscum provocat, & capitis sex-  
ti Joh. sub finem duntaxat & non nisi  
obiter meminit, cum de spirituali refe-  
ctione ageret, & quidem ex allegatione  
Thomæ. Hæc legisti Becane, & jam, quasi a-  
liud agendo, delicias, si nō ineptias, facis.*

7. Ad eundem censum refero, quod  
contradictionem mihi adfingis, eò quod  
p. 11. præsentiam corporis Christi *naturalem*  
voco, p. 27. præsentiam personalem appel-  
lo. Magnum ædepol peccatum est, in quo  
si faterer errorem non meum, sed vel a-  
manuensis vel typographi, qui in primo  
loco, pro *personalem* scripsisset *naturalem*:  
quantū quæso accederet causæ tuæ? Vide  
interim paginam tuam 10. ubi scribis, me  
vocare Hussum Cyprianū *Germania: Bohe-  
miæ* voluisti scribere. ita n. in libello meo  
legisti. Quod si tibi de hoc titivillitio li-  
tem facerē, annon hoc esset ineptire? Sed  
nō opus est hac respōsione, in qua per ex-  
emplū saltem ostēdere volui tuas ineptias.

Dicam



Dicam quod res est. Distinxi inter præsentiam naturalem, personalem, & sacramentalem. Naturalis est, qua corpus & sanguis Christi simul adsunt, propter vinculum naturalis unionis, quo invicem conjuncta sunt. Personalis, qua corpus & sanguis Christi simul adsunt, propter vinculum personalis unionis, quo conjuncta sunt cum λόγῳ. Sacramentalis, qua corpus unitum est cum pane, vinculo Sacramentalis unionis; Sanguis cum vino, itidem vinculo Sacramentalis unionis. Possunt ergo & naturalis, & personalis præsentia distingui à Sacramentali. Quia Neutra illarum attenditur in perceptione Sacramentali, ubi saltem quæritur, quid cum pane accipiatur, id nimirum, quod cum pane Sacramentaliter unitum est. Jam verò corpus saltem ita cum pane unitum est, licet corpus illud sanguinem quoque naturaliter unitum habeat: ergo corpus saltem cum pane accipitur, non sanguis. Ineptè itaq; mihi tribuis inconstantiam. Sed satis etiam de ista tua λεωλογία.

8. Pertinent ad hanc Ineptiarum classem etiam ea, quæ cap. 7. de Transsubstantiatione, num ea patribus nota fuerit, disputas. Præterquam enim, quòd ad nostram



nostram quaestionem de communione sub utraque specie nihil faciunt, à me etiam id ipsum, de quo tam prolixus es, non nisi obiter attactum fuit; sanè nō desunt in allegatis tuis, quæ id, quod voluisti, probare non possunt. Dixi, Patres; cum conversionis aut mutationis in Sacramento meminerunt, non intelligere mutationem substantiæ panis, qualis in Papatu docetur, sed mutationem sacramentalem, quæ elementa, panis & vinum, à vulgari usu ad usum mysticum & sacramentalem consecrantur. Tu negas hoc, & in contrarium adfers aliquot sententias Patrum: quas, quia me huc trahis, videbimus.

Ex Ambrosio duò doces: 1. *Benedictione etiam ipsam naturam mutari.* 2. *Deo mutationem istam non esse impossibilem.* Ad prius respondeo. Ipsa verba Ambrosij docent, loqui ipsum non de transubstantiatione Papistica, seu de mutatione substantiali, sed sacramentali; & hoc ostendere instituit, non panem duntaxat, sed & verum Christi corpus adesse ac manducari in cœna: quod & citra substantialem conversionem fieri potest. Ait enim, non hoc esse in sacra Cœna, *quod natura formavit*, hoc est, non panem simplicem:

B

commu:



communem & vulgarem, sed quod benedictio consecravit, hoc est, panem sacramentalem, seu panem cum corpore Christi sacramentaliter unitum. Quod autem benedictio possit efficere panem sacramentalem, probat, argumentando, non ex loco similitum, sed comparatorum, hoc pacto: Benedictione etiam ipsa natura mutatur, quod exemplis illis miraculosis de mutatione baculi in serpentem, sanguinis in aquam, &c. ostendit: ergo longè facilius benedictio impetrare poterit, ut ex pane vulgari fiat panis sacramentalis, hoc est, cum corpore Christi præsentissime unitus. Eodem modo lib. 4. de Sacramentis dicit, *per consecrationem de pane & ex pane fieri corpus Christi: quomodo id fiat, mox addit, nimirum non per conversionem substantialem, sed sacramentalem, ita ut sit quod antea erat, & tamen in alium usum convertatur, nimirum ut sit organon exhibitivum corporis Christi.* Et hoc etiam concludit argumento petito ex loco comparatorum. Ait enim, si tanta vis est in sermone Domini Jesu, ut inciperent esse, quæ non erant, quantò magis operatorius est, ut sint quæ erant, (nimirum ante



ante consecrationem) & in aliud conver-  
tantur. Habes responsum ad prius.

Ad posterius dico, à posse ad esse non  
valet consequentia. Potuit utique Deus  
rerum naturam inverttere & substantias  
tollere, in aliamque transmutare, quod  
autem hoc in Sacramento fecerit, hoc  
Ambrosius non docet: Tu ad potentiã Dei  
confugis, Becane: Ego verò prædixi tibi  
responsum, pag. 66. libelli mei: nimirum  
idem, quod olim Tertullianus dedit Pra-  
xeæ hæretico: *Dei posse, velle est, Dei  
non posse nolle. Potuit, si voluisset: De-  
us pennis hominem ad volandum in-  
struxisse potuit, quemadmodum & mil-  
vis prestitit: non tamen quia potuit,  
statim fecit: si tam abruptè in his præ-  
sumptionibus nostris, utamur hac sen-  
tentia, quidvis Deo confingere poterim-  
us, quasi fecerit, quia facere potue-  
rit.*

Hæc Tertullianus pro me respondit  
cap. 10. adversus Praxeam. Ineptiam  
igitur tuam agnosce, quod ex potentia  
DEI rem ipsam jam factam concludis.  
Si exempla regeris, ubi substantiæ fa-  
cta fuit mutatio & conversio, scias,



miracula illa ad Sacramentum non quadrare: & plerique vestrum miraculum in transubstantiatione quærere nolunt, memores decreti in Synodo Lateran: sess. 3. Scripturam sacram veritati naturæ non repugnare, eò quod verum vero non contradicat.

Affers deinde locum ex catechesi Cyrilli Hierosolymitani: sed in eo nihil ostendere potes de transubstantiatione. Ait enim, sub specie panis dari corpus, sub specie vini sanguinem. Ubi speciei vox non notat accidentia panis & vini: absurdum enim Papisticum, quod accidentia sint subjectum substantiæ, incognitum fuit Cyrillo: sed ipsam panis & vini substantiam: quo sensu D. Augustinus dixit: *Sacrificium Ecclesie duobus confici, duobus constare, visibili elementorum specie, & invisibili Christi carne & sanguine.* Et Bernardus in sermone de cœna Domini: *Tria in Sacramento altaris attendere debes; speciem panis, veritatem carnis, & virtutem gratiæ spiritualis. Quod videmus, species est panis & vini: quod sub illa specie credimus, verum est corpus & sanguis Christi*



Christi, quod pependit in cruce, & qui fluxit de latere. Quod autem addit Cyrilus: *Qui videtur panis, non est panis, sed corpus Christi*; ad præsentiam corporis Christi; non ad mutationem substantiæ panis pertinet. Nam qui videtur panis, quique gustum panis communis & vulgaris habet, panis tamen vulgaris non est, sed ad Sacramentalem usum, in quo unà cum pane etiam corpus Domini exhibetur, destinatus. Usita- *Cur Patres*  
 tum autem est Patribus, cum de Eucha- *de S. Cœna*  
 ristia loquuntur, ad rei cœlestis conside- *loquentes,*  
 rationem nos adducere, quasi illa sola *rei cœlestis*  
 adesset, non quasi annihilationem rei ter- *potissimuma*  
 renæ statuerent, sed ne interrenis elemē- *mentionem*  
 tis, quæ in oculos incurrunt, hærentes; *faciant*  
 rerum cœlestium, quæ non videntur, &  
 tamen Sacramenti potissima pars sunt, oblivisceremur.

Cyprianum subjungis, qui scribit in sermone de Cœna Domini: *Panis iste, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia verbifactus est caro. Et hinc te reperisse putas, non quod pueri in faba, sed ipsissimam Transubstantiationem.* Sed quid si cum multis diceremus, sermonem illum non esse Cypriani? Quid si u-

B 3

nicus



nicus ille Cyprianus à vestris stare partibus, numquid prævaricari posset universo Patrum cæterorum choro? Sed non est opus hac responsione: Cyprianus seipsum interpretatur, quod loquatur de tali mutatione, qualis est in persona CHRISTI. Sicut enim ibi duæ sunt manentque integræ naturæ, & tamen μεταβολή (ut Patres vocabant) facta est humanæ naturæ, quando non in se erat subsistens natura, sed natura Filii Dei subsistens in persona: ita mutatio panis in sacra cœna non tollit substantiam panis, sed relinquuntur duæ substantiæ integræ, panis & corpus, ita tamen, ut panis mutet naturam, hoc est, naturalem suum usum, & omnipotente verbo Christi instituentis fiat panis sacramentalis, exhibitivus corporis Christi. Ita enim habent verba Cypriani: *Sicut in persona Christi humanitas videbatur, & latebat divinitas: ita in Sacramento visibili ineffabiliter divina se infundit essentia, ut esset religioni circa Sacramenta devotio, & ad veritatem, cujus corpus Sacramenta sunt, sincerior pateret accessus, &c.*

Usitatum autem & hoc fuit Patribus, ut in disputationibus contra Eutychen



chen & Apollinarem probarent ex Eucharistiæ Sacramento, duas in Christo esse & manere naturas, quarum neutra alteram absorpsit aut in eam mutata fuit, quemadmodum in Eucharistia duæ manent res, terrena una, altera cœlestis, quarum neutra in alteram substantialiter est mutata. Hæc argumentatio falsa fuisset, si transubstantiationem panis credidissent. Quod autem Cyprianus non intellexerit substantialem panis conversionem, sed mutationem sacramentalem seu segregationem ad usum Eucharisticum, patet ex verbis paulò præcedentibus, ubi panem communem vocat, qui in Sacramento non amplius communis sit, sed mutatus in carnem & sanguinem, quæ unà cum pane offeruntur, & ad quæ in perceptione Eucharistiæ oculi magis convertendi sint, quàm ad panem.

*Panis iste communis, inquit, in carnem & sanguinem mutatus, procurat vitam & incrementum corporibus, ideoque ex consueto rerum effectu fidei nostræ adjuta infirmitas sensibili argumento edocta est, visibilibus Sacramentis inesse vitæ aternæ effectum, & non tam corporali quàm spiritali transitione Christo nos uniri.*

Po-



Postremo loco adducis Hilarij & Gregorij Nysseni testimonia: quorum ille nihil habet de transmutatione panis in corpus, sed tantum hoc dicit, quod ipsius Domini professione, & fide nostra verè caro & sanguis in Sacramento adsint, quod & nos credimus: adesse autem possunt, licet nulla fiat elementorum mutatio substantialis; hic verò de transmutatione panis quidem loquitur, sed de substantiali eam intelligere, petitio principij est. Tribuitur quidem pani appellatio corporis, non quasi ex pane corpus, per conversionem substantiæ factum sit; sed, interprete Theodoreto, ideo, ut, *qui communicant mysterijs, non attendant ad naturam eorum, quæ in Eucharistia visibilia sunt, sed credant illi transmutationi, quæ ex gratia facta est;* transmutationem illam intelligit, qua symbola externa manet in priori sua substantia, forma & specie, in Sacramento autem simul sunt corpus & sanguis Christi. Hæc ad testimonia tua Becane, ad quæ neminem ne quidem hiscere debere putasti, quod qui ausit, eum tu, pro tua modestia, *pertinacem ac impudentem hominem* appellas. Sed nihil deteritus.



ritus convicijs, isthac respondere volui, quæ in timore Domini probè consideres ac expendas, si que sapias, imò si veritas tibi cordi est, Chemnitium nostrum de hac materia diligenter evolvas: videbis, eum tuis objectis jam pridem satisfacisse, & aliqua a te producta loca ex professo refutasse, tam clarè & perspicuè, ut non nisi ab homine pertinace ac impudente (tuis utor verbis) ipsius responsiones eludi possint. Legisti ea in Chemnitio hand dubiè, sed rubore suffusus calamum objecisti, & interim per ineptiam, nescio quam, unum, atque alterum locum objicis, quasi nunquam responsum vidisses; clamas deinceps, ea tam clara & perspicua esse, ut non nisi ab homine *pertinaci ac impudente* eludi possint. Hoc nimirum est, modestum esse, hoc est, refutare Adversarium: sed pergamus ad alia.

9. De lotionè pedum, an ea ante vel post Eucharistiam facta sit, inutilem & ineptam mihi moves litem, comprobasq; id, quod in Notis meis dicebam; *familiare tibi esse, ut in cardine rei verba ferè deficiant, quibus in minutioribus aliàs non destitueris.* Hic enim quàm prolixus es in probando eo, quod Lotio pedum præcesserit Eucharistiæ in-



stitutionem? quasi hoc multum ad rem  
 faciat: at in sede controversiæ, num Christus  
 unam duntaxat speciem tantis in Sacramento  
 præceperit, ibi prorsus aqua hæret, Judicet,  
 qui bonus est, qualis hæc sit disputandi  
 ratio. Sed ad rem. Quod dico, Christum  
 post institutionem Eucharistiæ lavisse pe-  
 des discipulorum, non meum inventum  
 est, ut falsò mihi affingis, sed secutus sum  
 vestigia magnorum Autorum, qui ex Jo-  
 hanne imprimis hunc collegerunt ordi-  
 nem, quod Christus in ea nocte, qua tra-  
 ditus est, cænavit cum discipulis, quæ cœ-  
 na complectitur & esum agni Paschalis,  
 & communem illam cœnam, quam juxta  
 ritum Hebræorum cæna Paschalis mox  
 excipere solebat, & denique novam illam  
 cœnam novi Testamenti. Durante adhuc  
 cœnâ (licet bonam partem jam facta)  
 surrexit Christus, & pedes lavit discipulis,  
 quo factò, iterum accubuit, & παραύνησιν  
 suam de dilectione mutuâ, ad discipulos  
 instituit, Judæque proditori offam dedit,  
 qua accepta, exivit ille εὐθέως continuo Joh.  
 c. 13, v. 30. Nulla igitur alia intercedere po-  
 tuit actio inter acceptam offam & egressum  
 Judæ. Si ergo lotio pedum, & illa cum Juda  
 actio antecessisset institutionem Eucharis-  
 tiæ, sequeretur, Judam exiisse ante, quàm

Eu-



Eucharistia fuisset instituta: quod est contra expressam Lucæ assertionem, qui Judæ Novæ illi cœnæ interfuisse scribit. Hæc multi docti viri, præceptores mei, ex c. 13. Joh. deducunt, quibus ut tu, tuos secutus præceptores, argumenta alia opponas, per me licet: videris a. quàm valida ea sint. Nã, quod lotio pedum notarit præparationem ad accipiendam ritè sacrosanctam Eucharistiam, forti probatione indiget: aliæ isti instituti rationes afferri possunt, ex textu ipso, ut quod hoc humanitatis officio, Judam retrahere voluit à malitioso proposito, quod suum erga discipulos amorè constantissimum hoc externo signo comprobare voluit: quodq; tã illustri humilitatis exemplo, discipulorum ambitionem & superbiam corrigere studuit. Sed isthæc prolixius persequi, non est mei instituti. Evangelistas v. in historia sua interdum *ὕστερον πρῶτον*, salva veritate historię, usurpare constat: idcirco ea, quæ Matth. habet, relationi S. Joha. prævaricari non possunt. Sed nihil hoc ad communionē de utraq; specie. Transeāt ergo & hæ *λεπτολογία* tuæ.

10. Inter quas & hoc refero, quod subtiliter disputas, *benedictionem Christo familiarem esse non potuisse, quia ter tantum benedixisse legitur in Evangelio p. 23.* An verò, Christum plura non fecisse vel dixisse, quæ



quæ in Evangelio scripta sunt? quæ est ista  
 λεωτολογία? At, inquis, de quacunque  
 benedictione Christi, mihi sermo non  
 est, sed tantum de ea, cujus aperta fit men-  
 tio in Evangelio? Esto, tibi de ea sermo-  
 nem non esse: neq; hæc mihi curatio fuit,  
 cum ista scriberem; sufficit interim, te ne-  
 gare non posse, quod Christus frequenter  
 benedixerit, utpote qui à nobis benedi-  
 ctionem tam crebro exegit, & benedicen-  
 tibus invicem, divinam vicissim benedi-  
 ctionem promisit. Sed oportuit te o-  
 stendere, λεωτολογίας tibi nimium fami-  
 liares esse.

II. Restat adhuc una pag. 51. ubi sic  
 ineptis: *Baptismus est stipulatio bona  
 conscientia cum Deo: ergo satisfit tene-  
 rorum conscientijs, licet unam dunta-  
 xat speciem accipiant in sacra cæna.* E-  
 gregium profectò argumentum, & Theo-  
 logo Moguntino dignum, impingens in  
 ελεγχον plurium quæstionum. Alia e-  
 nim quæstio est, quid me certum possit  
 reddere de gratiâ Dei? & rectè hîc respon-  
 detur, Baptismus: in eo enim in fædus  
 Dei receptus, & Spiritu sancto, tanquam  
 arrha hæreditatis, qua mihi gratia Dei  
 obsignata est, donatus sum; & ad hanc  
 con-



Consolationis anchoram me remittit  
Scriptura 1. Pet. 3. Eph 1. Tit 3. Alia verò quæ-  
stio est, unde pacare possim conscientiam  
meam, quòd rectè usurparim S. Euchari-  
stiam? oportet enim me ea de re certum  
esse, siquidem, quod fit dubitante consci-  
entia, peccatum est. Hoc sanè ex Baptis-  
mo fieri non posse, quilibet intelligit, qui  
non ineptus est. Neque etiam consuli-  
tur conscientijs, allegatione decretorum,  
traditionum aut consuetudinum huma-  
narum, multò minus ratiunculis hinc in-  
de conquisitis: sed ex sola institutione Sa-  
cramenti. Quod si ergo contra expres-  
sam institutionem una duntaxat species  
porrigitur laicis, duæ clericis, fieri non  
potest, quin in suspensio relinquatur ani-  
mi hominum, an etiam satisfactum sit in-  
stitutioni? an etiam verum acceperint Sa-  
cramentum? & cur ipsi à calice arceantur,  
non item & alij? num aliqui Christiani in  
regno Dei deterioris sint conditionis cæ-  
teris? num rectè fecerint, quod traditio-  
nem hominum magis secuti fuerint, quàm  
institutionem & præceptum DEI &c?  
Tentationes hæ non sunt contemnendæ,  
neque latent nos querelæ eorum, qui ju-  
go Pontificio adhuc premuntur, qui cum  
in cæteris articulis à Romanensibus non  
dissen-



dissentiant, in hoc unico tamen de Communionem sub una specie adquietere non possunt. Hic igitur consulendum esset conscientijs, Becane, quæ optimum quærunt solatium in usurpatione S. coenæ: id verò risu, vel ineptijs istis non efficies. Proinde collige te melius, & agnosce me non temerè ad conscientias tenerorum provocasse. Ejusmodi teneros sat multos vobiscum habetis, de quorum salute plus laborandum nobis est, qui curam animarum gerimus, quàm multorum aliorum, qui externo Ecclesiæ vestræ fastu & splendore fascinati, & opimis præbendis saginati, credunt multa in gratiam sui Pontificis, fide nimirum carbonaria, quæ ipsis res fidei diligentius expendere, & juxta Christi præceptum & Berrhoënsium exemplum, scripturas scrutari non permittit. Considera hæc omnia diligentius, Becane, & ineptire desine. Non decent virum gravem ineptiæ.

## CAPUT II.

*De Calumnijs Becani.*

**I**N his etiam satis prodigus es, quod profecto de isto tuo, quæ præ te fers, cādore, mih



mihī non persuasisset: neque ægrè feras quod calumnias vocarim; tu Mendacia appellasses sat scio, si similia in meis reperisses: ita enim jam facere incipis etiam tum, quando in calumnia manifestè deprehenderis pag. 40. Videbimus ex illis tuis aliquot è multis:

1. Scribis pag. 4. *me non alium, nisi me ipsum, vel certè Sacram scripturam meo sensu intellectam, admissurum esse iudicem.*

Calumniam hanc voco: nusquam enim id ex me audivisti, neq; mihi in mentem venit unquam: quorsum aliàs provocassem in Notis meis ad candidi Lectoris iudicium? scio enim scripturam non esse privatæ interpretationis 2. Pet. 1, v. 20. Sed hoc est moris vestri; si quis sententiam (corruptelam potiùs) Scripturæ ex cathedra Romana dictam non ambabus, quod dicitur, ulnis amplectitur, eum protinus ut *αὐθάδης* & sui ipsius iudicem proclamatis. Sed calumniam hanc error peperit, quod scripturam per scripturam interpretari nescitis, sed à dictamine Jovis vestri Capitolini indivulsè pendetis, e- jusq; traditiones pari pietatis affectu ac r̄ verètia suscipitis ac veneramini, ac ipsā scripturā, ita jubente concilio Tridentino.

Nobis

Sess. 4. de  
cret. 1.



Nobis alius est animus; qui cum *Epiphaniō her. 65.* uniuscujusque quæstionis inventionem, non ex proprijs ratiocinationibus, sed ex scripturarum consequentia desumimus; & cum *Augustino de unitat. Eccl. cap. 3.* Non audimus, hæc dico, hæc dicis, sed; hæc dicit Dominus. Sunt certè libri Dominici, quorum autoritati utrique consentimus, utrique credimus, utrique servimus. Ibi quærimus Ecclesiam, ibi discutimus causam nostram.

2. Tribuis mihi inepta & frigida argumenta, pag. 6. Miror autem, quod ad frigus illud totus torpuisti, ita ut ne hiscere quidem potueris: aliàs in capite causæ ad silentium te adigi passus haud fuisses, sat scio. Sed juxta Rhetorùm præceptum, extenuanda sunt, quæ refutare non potes: hoc enim genus responsionis vobis Jesuitis familiare est. Calumniam igitur hanc voco, donec solidum & sufficiens responsum ad ea, quæ in nostra controversia ad rem ipsam pertinent, à te audiero Interim illud Ennij occino: *Tantidem quasi sæta canes sine dentibus latrat.*

3. Lutheri Evangelium esse scribis pag. 7. nullo opere, nulla lege, Christiano homini opus esse, cum per fidem liber sit. *b. omi.*



*omni lege.* Tuam fidem appello; Beane, num hæc ex conscientia scribas, vel an in Luthero isthæc unquam legeris & non potius ex sycophantæ Ratisbonensis, aut alterius Socienni vestri, rapsodijs ista hauseris. Nimis enim crassum hoc figmentum est, quod non dicam Scripta Lutheri & nostratum contra Antinomos, sed vel patibula nostra refutant; tantum abest, ut proluxa responsione opus hic sit.

Quis enim prior Spiritui Antinomico contradixit, quam Lutherus noster, sex illis eruditissimis disputationibus, quas Johanni Agricolaë Islebio opposuit? *tom. 1. lat. len. p. 517. seqq.* Et, ubi scelera publica se verius puniuntur, quam ubi Lutheri doctrina sonat, cum vicissim obscurum non sit, lupanaria publica, & alias flagitiorum officinas tolerari apud eos, quibus Lutheri doctrina sudes est in oculis. Sed transeat & isthoc cum cæteris, præsertim cum non tua sit privata, sed publica tabularum vestrorum calumnia, qua & tu miser deceptus es, ut immerentem Lutherum & doctrinam ejus odio haberes. Verissimum enim est illud Cleanthis:

Κακώτερον ἔδεν Διabolῆς ἐσίτω,  
 Λάτρεα ἢ ἀπαλήσει τὸν πεπρωμένον,  
 C MIST



Μισθὸν ἀναπλάττει πρὸς τὸν ἕδεν αἴτιον.  
 Nihil est adeò malignum, quàm calumnia,  
 Quæ si fefellit clam facillimè credulum,  
 Odio immerentem exponit & livoribus.

4. Calumnia est, quod scribis, pag. 16 & 17, me docere, matrimonium institutum esse vel pro omnibus civibus Ecclesiæ, vel pro ijs, qui revera matrimonium ineunt. Neutrum horum scripsi aut sensi unquam, Sed cum scriptura dico, matrimonium institutum esse pro ijs, qui ad contrahendum habiles sunt vel ratione sexus, vel ratione ætatis, vel ratione suæ potestatis, vel etiam ratione sanitatis: nam hermaphroditos, impuberes & non emancipatos, impotentes, famosos & similes ad matrimonium non admitti, quilibet intelligit, qui non calumniator est. Hoc autem certum est, ea quæ in institutione continentur, pertinere ad omnes, qui institutionis sunt capaces, & quidem pertinere non arbitraria quadam ratione, sed vi præcepti: ut, quod duo sunt in carne una, non plures; quod diligere debent conjugem, tanquam propriam carnem, & quæ sunt similia. Et hoc est, quod dixi, dari non posse institutionem Christi, in qua non sit præceptum: ostende contrarium, & phyllida solus habebis. Cur tergiver-

tergiver-



tergiverfaris, & argumenta, quæ pro sententia mea ibi produxi, non refutas? morbida causæ hoc est inditium. Vide quæso, quæ habet *Gregorius vester Valentinianus in lib. 1. de Missa cap. 4. in volum. retens excuso pag. 682.* ubi institutionem Christi aliquoties præceptum nominat.

5. Sequitur classica illa & verè regia calumnia, qua me docere scribis, *ministros tantum debere porrigere, nunquam autem sumere cœnam, p. 30.* unde postmodum contradictionem inferis in liripipio tuo natam, inter pag. 274. ubi scribo, Apostolis etiam opus fuisse Sacramento cœnæ, sicuti Christianis alijs, & inter pag. 261. ubi scribo, discipulos facere debuisse, quod Christum fecisse viderant. Viderant autem Christum non accipientem, sed distribuentem sacram Cœnam. Ergò non debuisse accipere, sed porrigere. Utrumque me scripsisse fateor, sed conciliationem facilè vidisses, si Bonus esse voluisses. Nam pag. 274. dico, *Ministrum ab alio sacramentum accipere posse.* Nam quia Christianus est, indiget etiam ipse bonis Ecclesiæ, æquè ac cæteri. Sed pag. 261. dico, quid *Ministro* faciendum sit, *dum ipse administrat: ne ὡς πρὸς βέβαιον* alicujus arguatur.

non.

Ca

Ibi



Ibi non ipse edere ac bibere jubetur, quod faciunt vestri Missificantes; quibus paragraphum illum principaliter & directe opposui: sed communicantibus alijs porrigere; id quod negare non potes, si præceptum illud, *Hoc facite*, ad ea pertinet, quæ Christus fecit. Christum enim ipsum edisse ac bibisse panem & vinum consecratum, Calvinianus fortè aliquis dixerit, tu. Becane, non item, sat scio. Et ex hoc fundamento colligimus, perperam fieri, quod sacrificuli conficientes, quos vocatis, ipsi sibi sumunt, carentibus interim cæteris, quos spectatores duntaxat esse vultis istius vestri prandij.

Vide jam quæ hic sit ἀντιλογία, quæ novitas, quæ absurditas, quam tu pro tua modestiane dicam, an calumnia, mihi affingis. Longè rectius & tibi & alijs consulisses, si respondisses ad argumentum, quo communicationem vestram mutilã eo ipso in loco ex præcepto Christi, *Hoc facite*, solide jugulavi. Sed ibi tu, more tuo, pisce magis mutus, velum illud calumniæ quasi tegumentum erroris tui, quem in conscientia haud dubiè agnoscis, interim obducere voluisti. Judicet hic iterum Lector non corruptus, an hoc Boni Disputatoris sit officium.

6. Non



6. Non vilioris notæ calumnia extat  
 pag. 25. ubi mihi affingis, quasi verba in-  
 stitutionis cœnæ retulerim inter *ἰνστατα*  
 illa *ἀγεντα*, quæ Paulus in tertio audivit  
 cœlo. Et hinc longam incipis texere te-  
 lam de tempore Raptus Paulini, & ratio-  
 nes affers prolixè, quod Paulus jam ante  
 raptum verba institutionis noverit. Sed  
 cui bono mi homo? vel quo cum pugnas?  
 cum Iripipio fortè tuo. Dixi ego, verba  
 cœnæ in tertio cœlo fuisse repetita & de-  
 clarata, hoc est, Christum in cœlesti sua  
 gloria, institutionem suam repetivisse, de-  
 clarasse, confirmasse, atque sic repetitam,  
 declaratam, confirmatam Paulo tradidisse,  
 Ecclesiæ proponendam, ut ex ipsius  
 Christi declaratione & repetitione con-  
 stet, quomodo eam velit intelligi & ex-  
 plicari. Cumque in ista repetitione atque  
 declaratione, interprete Paulo, per ex-  
 pressam copulativam. Et de pane edere,  
 & de calice bibere jubeantur omnes, qui  
 se probare possunt infallibiliter hinc con-  
 clusi, mentem Christi fuisse nunquam, ut  
 laici saltem de pane edant, omisso calice,  
 aliàs in declaratione ista Apostolo suo ne-  
 quaquam reticuisset. Ad hoc Argumen-  
 tum respondere mihi debuisses; tu verò  
 quasi re benè gesta, ne quidem attingis  
 C; argu-



argumentum : sed interim pro tua modestia, per insignem fallaciam ἀμβιβολογίας, verba mea aliò detorques, quasi dixerim, Paulum in tertio cælo demum audivisse verba institutionis. Hoccine est Mouguntia Theologum agere ? Hoccine respondere adversario ? itane tuos instruis discipulos, ut verba Bonorum virorum pervertant in sensum alienum, de quo postmodum mirificè deblaterent, rem ipsam ne quidem minimo digito attingant ? Meliora de te mihi persuasissem, Becane : jam profectò fidem tuam mihi sublestam reddidisti : & nescio num in te dictum sit illud Demosthenis : *Calumniatoris naturam esse, omnia vocare in crimen, nihil probare.*

7. Insignis extat calumnia pag. 50. ubi dicis, me docere, abstemios posse sub una specie cōmunicare : & hinc cornutus, uti semper soles, cōtra me ingrederis : vel jure divino prohibitum est cōmunicare sub una specie, vel non est, &c. At, mi homo, ubi hoc dixi ? monstra literam aut verbum ullum ? Brentium dixi hoc abstemijs concessisse, sed consilio quodam humano, non præcepto divino concessisse. Dixi etiam



etiam, si de facto abstemijs una daretur species, sacrilegium non committi, quia ibi esset casus necessitatis, qui non habet legem: cum verò non-abstemijs una saltem species porrigitur, id non sine sacrilegio fieri posse, quia hic nulla necessitas est, quæ impediatur Christi mandatum. Interim, ut ipse fateris, suasi, Lutheri consilium sequendum esse, qui abstemios integrè abstinere jubet, ob causas in Notis meis allegatas. Vide itaque, mi Becane, quàm candidè tecum agas: Die Teutschen nennens ein Knabenstück. Profectò hæc & similia in tam paucis pagellis tuis non parum detrahent de fide, & candore tuo, cujus laudem aliquam hæctenus apud nonnullos, à quibus me quoque non excludo, habuisti. Sed tu tibi respondendum putasti, si non ut debuisti, saltem ut potuisti; recordatus fortassis illius Menandriani: *Νικῆν ἢ ἀεὶ Ἀγαθὸν τὰ κρείττονα.*

8. Similis est illa, quam in eadem pagina uno quasi anheliu efflasti; ubi scribis, fructum Sacramenti, secundum me, esse duplicem, alterum augere fidem, alterum

**NUTRIRE CORPUS,**

C 4

Nimis



Nimis profecto petulans es, mi homo, qui ita nude ponis verba mea, quæ de refectione dixi, quasi intelligam nutrimentum aliquod corporale, quod panis & vinum præstare potest: Scio enim Sacramentum in hunc finem institutum non esse, ut corporis sit pabulum, naturalem præbens alimoniam; ideo ex Hieronymo vocavi escam mentis, non ventris: & Capernaitarum hanc fuisse opinionem à Christo & Paulo rejectam non ignoro, Joh. 6. & 1. Cor. 11. at tamen corpus quoque spirituale habere refectionem ex Sacramento Cœnæ, non nego: qualis autem ea sit resectio, quia tu adhuc ignoras, docebo te paulò post, quando ad ignorantias tuas pervenero. Interim verò vide mihi cujus sit, ea, quæ secundum quid dicta sunt, tanquam simpliciter dicta traducere: Fateberis, hoc versipellis Sophistæ esse, non ingenui disputatoris. Quapropter ut concludam hoc caput, suadeo cum Diogene, audiente aliquando nigellum quempiam, convicijs incessentem Platonem; *desinas calumniari: neque enim tu male de me dicendo fidem merebere, neque in te laudantem.* Et Lectori non corrupto illud Augustini inculco: *Amico laudanti ne credideris, nec in amico detrahenti.*

CAPVT



## CAPUT III.

## De Ignorantijs Becani.

**N**Olo ἀπαίδευσίον aut Ruditatem nominare, Becane, quod Ignorantiam dixi. Scio enim, te inter tuos magnum athleram esse, & virum eruditum, quam laudem equidem tibi non invideo: tuum est, bene parta tueri; quod facies, si veritati conscientiam tuam ferienti locum dederis: doctus utique non est, qui veritati satis apertæ πῖξ καὶ λάξ recalcitrat, sui tantum nominis conservandi studio. Ne feceris, hoc Becane, & mihi satis doctus eris. Interim Ignorantias tuas (quæ etiam in doctum cadere possunt) voco ea, quæ non intelligis, aut intelligere non vis in Notis meis. In horum classem ista refero:

1. Ignoras, quid sit præsentia personalis p. 14. Illud enim putas personali præsentia ubique esse, quod per immensitatem ubique est: cum autem humanitatem Christi immensam non dicamus, eam etiam ubique præsentem esse posse negas. Puerilis hic error est, Becane, ortus ex ignorantia discriminis inter naturalem & personalem præsentiam Christi. Christus

C 5

secun-



secundum naturam divinam ubique præ-  
 sens est, naturaliter, sive ut tu loqueris, per  
 immensitatem; immensitatem nimirum  
 naturæ suæ, proprium enim est divinæ na-  
 turæ, cœlum & terram implere, *Ier. 23, v.*  
*24.* Sed secundum naturam humanam u-  
 biq; præsens est, *non naturaliter*; natura e-  
 nim carnis non est immensa; *sed personali-*  
*ter*, hoc est, per & propter unionem perso-  
 nalem humanæ naturæ cum divina, quæ  
 unio, quia est indissolubilis, & ἀδιάσπαστος,  
 ideo locus vel πῦρ aliquod dari non po-  
 test; ubi λόγος sit, & non etiam caro τῷ  
 λόγῳ. Quam ob causam de Christo scri-  
 ptum est, *Eph. 4, v. 10.* ipsum ascendisse su-  
 per omnia, ut impleret omnia. Ascendit  
 autem secundum humanam naturam;  
 (Altissimus enim non potest exaltari, in-  
 quit Leo, ideo nec ascendere) ergo & se-  
 cundum humanam naturam omnia im-  
 plet. Implet autem omnia non per natu-  
 ram, sed per gratiam, non per immensita-  
 tem, eam enim non habet: sed per unio-  
 nem personalem, quam cum λόγῳ obti-  
 ner, hoc est, ut clarius dicam: non immen-  
 sitas naturæ est causa, quod caro Christi  
 est omnipræsens; sed unio personæ, quæ  
 neutram naturam excludit. Atque ita do-  
 ctrina de omnipræsentia carnis Christi,  
 (quam



FRID. BALD.

(quam tu pro tua modestia monstrum ubi-  
biquitatis vocas) non est varia, nec impe-  
netrabilis, sed simplex atq; facilis: modò  
in admirando hoc mysterio Deo dare glo-  
riam & præconcepta cerebelli nostri so-  
mnia de immensitate humanæ naturæ, ali-  
quantisper capistrare velimus. Nā ut Atha-  
nadius loquitur contra Apollinarem: *stolidi  
sunt, qui carnis Christi dimensionē conātur facere,  
& quantū, & quōdo, præter scripturas definiūt.*

2. Pag. 15. scribis, te non satis intellige-  
re, quod dico, Christum totum sub utroq;  
adesse Symbolo, præsentia naturali non  
Sacramentali. Error fuit inde, quod non  
intelligere videris utriusq; præsentia fun-  
damentum. Fundamentum præsentia na-  
turalis est unio carnis & sanguinis natura-  
lis; quæ facit, ut unum ab altero abesse non  
possit in corpore vivo. Fundamentum  
præsentia Sacramentalis est Institutio Sa-  
cramenti, quæ non vult, ut sub uno Sym-  
bolo totus Christus accipiatur, sed sub pa-  
ne corpus, sub vino sanguis Christi: à qui-  
bus verbis institutionis recedere nobis nō  
licet, propter causas in Notis meis indica-  
tas. Nihil itaq; mihi est commertij cū na-  
turali vestra concomitantia. Nam in S. Eu-  
charistia, cū vobiscum controversia est,  
propriè nō quæritur, quid sub pane ADSIT,  
sed



sed quid sub pane **DISTRIBUATUR**  
**AC ACCIPIATUR**, Ubi responsio ex  
 verbis Institutionis plana est: In Sacra-  
 mento distribuitur ac accipitur sub pane  
 non sanguis, sed corpus: sub vino, non  
 corpus, sed sanguis: ergo vides, eo modo,  
 quo praesentia in Sacramento considera-  
 tur, sanguinem sub symbolo panis quaeri  
 non posse, nec debere: licet naturali praesentia  
 adsit, quia cum corpore naturaliter  
 unitus est; ita verò in Sacramento non  
 consideratur ejus praesentia. Sunt haec  
 satis manifesta, quae quod tu non intelli-  
 gis, nihil praedjudicare potest veritati.

3. Refers pag. 48. ut absurdum, quod  
 scripsi in Notis meis, Carnem quoque refi-  
 ci Sacramento Eucharistiae. Error hic  
 inde oritur, quod non nisi communem &  
 crassam illam corporis nutritionem, qua-  
 lis pane & vino fieri potest naturaliter, a-  
 gnoscis in Sacramento. Sed si nondum  
 intelligis, quid sit Refectio hominis in  
 Sacramento Coenae, haec pauca accipe: Sa-  
 cramenta, tanquam sigilla gratiae, toti in-  
 serviunt homini ad vitam aeternam. Fru-  
 ctus autem ille Sacramenti, vocabulis  
 metaphoricis exprimitur. In Baptismo  
 fit ablutio, non autem naturalis illa aut  
 vulgaris, qua abluuntur sordes corporis,  
 eam



eam enim derogat Baptismo D. Petrus 1. Pet. 3. sed spiritualis, ablutio nimirum à peccatis, & sanctificatio, non enim solius animæ, sed totius hominis fit regeneratio & sanctificatio in Baptismo. Sic in S. cœna fit refectio & nutritio totius hominis, non autem crassa illa atq; physica, qua corpus ex communi pane & vino alimentum suum habere potest; sed illa spiritualis, qua totus homo Christo inseritur, e- jusq; succi ac vigoris vivifici fit particeps, ita ut non anima solùm, sed & corpus spem habeat melioris viæ. *Hæc enim accepta & hausta faciunt, ut Christus in nobis sit, & nos in ipso, inquit Hil- lar. lib. 8. de Trinitat.* Et hanc spiri- tualem corporum nostrorum refectio- nem facile probare possumus. 1. ex analo- gia Sacramentorum: sicut enim in Baptis- mo corpus & anima sanctificatur, licet Baptismus non sit ablutio sordium corpo- ris; sic & in S. cœna corpus & anima refi- citur ac nutritur, licet non sit nutritio cor- poris Physica, quæ communi alimento fit. 2. ex institutione Sacramenti: Ideo e- nim Christus non saltem credere jubet, sed *edite*, inquit, requirens instrumentum corporis; ut ostendat, hanc sibi intentio-

nem



nem esse, ut hoc Sacramento, non solum anima, sed & corpus, hoc est, totus Christianus, reficiatur. 3. ex consensu orthodoxorum patrum. Ita enim scribit Irenæus lib. 5. cap. 4. *Quando & mixtus calix, & fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia corporis & sanguinis Christi ex quibus AUGETUR & consistit carnis nostre substantia. Quomodo negant carnem capacem esse donationis Dei, quæ est vita aeterna, quæ tamē sanguine & corpore Christi NUTRITUR?* Et lib. 4. cap. 34: *Quomodo carnem dicunt in corruptionem devenire, & non percipere vitam, quæ à corpore Domini & sanguine ALITUR?* Ad stipulatur Cyrillus lib. 3. in Iohan. cap. 37. *Benedictionem communionis corporis & sanguinis Christi adsequimur. Vnde ad eam incorruptionem reducimur, ut cibo & potu corporis non indigeamus, scilicet in altera vita.* Intelligis, Becane, ex hoc unico loco, quid sit refectio corporis in Sacra cœna, nimirum præservatio corporis ad alteram meliorem vitam. Hinc enim est, quod corruptibile induere potest incorruptibilitatem, 1. Cor. 15. quia corpus etiam



etiam carne ac sanguine Christi partum est. Ubi incorruptibilitatem de impassibilitate intelligas, ne quis cavilletur, corpora eorum, qui Sacramenti hujus participes facti non sunt, resurgere non posse. Loquor enim de incorruptibilitate beatorum in altera vita, quam pij Patres à fruitione corporis ac sanguinis Christi dependere dicunt. *Hæc enim vitæ nostræ causa est,* inquit Hilarius lib. 8. de Trin. *quod in nobis manentem per carnem Christum habemus, victuri per illam ea conditione, qua ille vivit per Patrem.* Sed hæc hæctenus.

## CAPUT IV.

*De Absurdis Becani.*

Transeo nunc ad ea, quæ non nisi Absurdè scripta videntur in Epistola tua; quæ, quia tempore excludor, breviter notabo, & tibi explicanda relinquam.

1. Absurditate non caret, quod scribis p. 17. *Matrimonium pro omnibus Ecclesiæ civibus esse institutum.* Quod si ita est, Becane, vel dicere te necesse est, infantes, furiosos, leprosos, impotentes, spadones & alios, quos Leges à matrimonio sequestrant, Ecclesiæ cives non esse, vel pro his quoque matrimonium fuisse institutum. Utrumque absurdum, Meliora supra audivisti.

2. Chri



2. Christum & Ecclesiam sequi, tibi simpliciter unum & idem est p. 20. Absurdum. Potest enim esse Ecclesia malignantium. Si de Ecclesia Romana, hoc est, Papistica, intelligis, absurde pro concessio adsumis, quod in quaestione est. Si veram Christi Ecclesiam intelligis, absurdus es, si putas sponsum & sponsam nunquam divelli posse, hoc est, Ecclesiam veram, nunquam errare posse. Non enim ex Angelis constat, sed ex hominibus, qui tibi, errare ac decipi possunt, quin & saepe gravissimos in errores seducta fuit Ecclesia ab ipsis Apostolis plantata, in primis Corinthiaca, Galatica & Ephesina: & de primitiva Ecclesia paulo post tempora Apostolorum scripsit D. Hieronymus, omnes penè toto orbe Ecclesias, sub nomine pacis Arianorum consortio pollutas esse. Sequimur itaq; & audimus Ecclesiam, quando ipsa Christum sponsum suum sequitur & audit: Sponsum autem sequitur, quando verbum ejus audit & non *ἐπιλάματα* hominum, oves enim meae vocem meam audiunt, & alium non sequuntur inquit Christus, *loh. 10*. Cùm itaque Christi vocem habeamus in Institutione Sacramenti: *Bibite ex hoc calice omnes; utiq; integrum nobis non est, audire Ecclesiam,*  
*si di.*



si dixerit: Hoc Christi præcepto non obstante,  
consuetudinem communionis sub una specie, pro  
lege habendam esse. Vox hæc meretricis est,  
non sponsæ.

3. Benedictionem Christi efficacem  
esse & miraculorum effectricem, tibi sunt  
Synonyma p. 21. & 22. Absurdum: quasi  
nulla alia fuerit dictorum & factorum  
Christi efficacia, quam miraculi produ-  
ctio. Proinde efficaciam benedictionis  
Christi, siue circa panem, siue circa res a-  
lias, semper agnosco; *mysterium* autem &  
*miraculum* non item: hoc tu non absque  
absurditate adserere videris.

4. Benedictionem panis à Christo  
semper ex peculiari consilio factam ais p.  
21. Absurdum est; ista tam confidenter  
ponere absque probatione. Etsi enim de  
benedictione panis & vini in institutione  
S. Coenæ credimus, quod per eam simul  
facta fuerit destinatio Symbolorum ad  
usum mysticum & Sacramentalem; ne-  
gari tamen non potest, Christo preces fu-  
isse usitatas, quoties rem aliquam arduam  
aggredi; & benedictionem, cum cibum  
sumere vel distribuere voluit. Quod si  
negas, oportet te evidentibus rationibus  
docere, quòd Christus aliud suæ benedi-  
ctionis consilium habuerit. Mirum au-

D

tem



tem quod illud nobis reticuit Salvator, aut non saltem Apostolo suo aperuit; qui aliàs de se dicit, quod omne consilium Dei nobis revelaverit, Act. 20.

Sed tempus est, ut te dimittam. Tuum erit, Becane, ista omnia, quæ ad Epistolam tuam respondere debui, diligenter expendere; & te ipsum examinare, num conscientiæ tuæ satisfeceris, nedum Ecclesiæ Christi, dum ne unicum argumentum mei libelli contra communionem sub una specie attingis, sed *παρ-  
έργως* illis atramentum & chartam perdis. Vocas hanc Epistolam tuam *dissertationem de communionem sub utraque specie, pag. 52*. Sed quæso te, cui hoc persuadebis? Hujus enim quæstionis vix ullo verbulo fecisti mentionem. Proinde *si bonus es*, non ægrè feres, quod hujus tuæ Tergiversationis sæpiusculè te admoneo: *Si veritatis studiosus es*, cedes meliora monenti; neque malam in partem accipies, quod Disputationem tuam examinare, & Notis meis illustrare volui. Remittis me ad Calvinianos, hos expugnare jubes: Sed nondum omnium dierum sol occidit, & suo loco etiam cum ipsis, pro tenuitate mea egi: interim vulpeculæ à vinea Christi ita arcendæ sunt,



ne devastent eam apri. Tu, si pius es, dabis gloriam Deo, & errorem tuum agnosces.

Quod si PLAGA, quam p. 53. minitaris, omnino mihi expectanda est, fac quaeso, ne auras inaniter verberet, hoc est, da operam, ut absque calumnia, omissis *παράλογα*, controversiam ipsam de communione sub utraque specie tangas, & ea, quae in Notis meis solide opposui, refutes. Quod si non nisi *παράλογα* iterum appositurus es, scias, mihi legendis aut examinandis ijs non vacare, qui fortasse pluribus in Schola & Ecclesia laboribus occupatus sum, quam tu; quem non nisi scriptionibus ejusmodi destinatum audio. *Πᾶσιν ἀπολογεῖσθαι θεοπροφητικόν*, inquit Plutarchus; & Ecclesiastes nos ter: *Tempus est loquendi, & tempus tacendi.*

Nolo itaque tecum ranarum in morem coaxare saltem, inutili rerum impertinentium litigio, ubi etiam impetrata victoria, non nisi Aristophanicum illud *βρεκεκεκεξ* quasi in triumpho circumferretur. Quae ideo moneo & praedico, ut plagam tuam in ipsum controversiae nostrae nervum dirigas; alias loco responsi illud Augustini ad Marcellinum audies:

D 2

Quis



*August. lib. 2. de civit. Dei cap. 1.* Quis disputandi finis erit, & loquendi modus, si respondendum esse respondentibus semper existimemus? Nam qui vel non possunt intelligere, quod dicitur, vel tam duri sunt adversitate mentis, ut etiam si intellexerint, non obediunt, respondeant, ut scriptum est, & loquuntur iniquitatem, atque infatigabiliter vani sunt. Quorum dicta contraria si toties velimus refellere, quoties obnixa fronte statuerunt non curare quid dicant, dum quocunque modo nostris Disputationibus contradicant, quàm sit infinitum & ærumnosum, & infructuosum, vides.

*Lib. 5. de civit. Dei cap. 27.*

Vale, mi Becane; & ut valere possis, veritati monstratæ cede; & ut cedere possis, juxta Augustini consilium, à prudentibus potius emendari, quàm laudari ab imprudentibus elige. Pragæ è meo pro tempore Musæo ad diem 18. Maij,

ANNO CHRISTIANO

1610.

Post



## Post scriptum.

Vide, mi Becane, quàm liberalis in te sim. Respondeo non modo, sed & Epistolam tuam simul mitto. Illud voluntati tue, hoc Candori meo tribuas, ne vel præterijisse necessaria, vel affinxisse aliena videar. Hactenus enim Epistola tua in nostrorum hominum manibus non fuit, quibus quod eam communicavi, haud dubiè gratiam aliquam apud te inibo. Nam & tua interest, Eam ipsis inclarescere; & mea; Notas disputationi tuae de communione sub utraque specie inustas in hunc usq; diem indeletas consistere. Addidi autem ad marginem nonnulla in gratiam Lectoris, quae tu boni consulas; & si qua minus ad palatum tuum, cogites, me, ut cum illo loquar, utilitatem juvandi Lectorem prætulisse gratia placendi.

Epistola itaq; tua sic habet:

D 3

Marti-



Martinus Becanus,

FRIDERICO

BALDUINO.

S. D.



Revocas me ad scribendum Balduine: vel, ut planius dicam, ad litigandum *a*. Aegre adducor, ut faciam. Et duplex mihi causa. Una, quòd aliis scriptiõibus sim occupatissimus. Altera, quòd Calvinistas hactenus, non Lutheranos, ex quorum numero tu es, hostes mihi & adversarios delegerim *b*. Sed, quia sponte me lacessis, quid faciam? En sisto me, & ad pugnam capeßendam præsto sum. Et ne longè abeamus; hoc agitur inter nos, an communio sub utraq; specie sit in præcepto divino, nec ne *c*? Ego in mea Disputatione, quam pridem de hoc argumento scripsi, contendo non esse. Tu in tuis Notis, quas in eandem Disputationem meditatus es, contrarium asseris. Uter rectius, in controversiam nunc venit. De Judice, qui litem hanc dirimat, non facile

*a*  
Vide Resp.  
pag. 10

*b*  
Vide Resp.  
pag. 11.  
& sub finem  
huius Episto-  
lae in Dio-  
domeum.

*c*  
Nota bene.  
Hanc contro-  
versiam Epi-  
stola Becani  
ne digito  
quidem at-  
tingit.



facile inter nos conveniet. Tu enim, fat-  
 scio, non alium, nisi teipsum, vel certè sa-  
 cram Scripturam tuo sensu intellectam,  
 admissurus es *d.* Igitur arbitros designe- *d*  
 mus, necesse est. Nec abnuo, quin omnes, *Vide Resp. pag. 31.*  
 quotquot lecturi sunt, ex arbitrio senten-  
 tiam dicant,

II. Longiori præfatione opus non est.  
 Ad rem venio. Negavi communionem, *In his omni-  
 bus vox es,  
 prætereaque  
 nihil. Vereor  
 ne hoc pacto  
 tuum feceris  
 illud Varro-  
 nis: Omnes  
 videmur no-  
 bis saperde,  
 festivi, belli,  
 cum simus  
 copreæ. Fudi-  
 cet qui bonas  
 est.*  
 sub utraq; specie, divino præcepto, omni-  
 bus necessariam esse. Et confirmavi hoc  
 ordine ac methodo. 1. aliud est institutio  
 divina; aliud præceptum divinum. 2.  
 Christus instituit communionem sub u-  
 traq; specie; non tamen præcepit omni-  
 bus usum utriusque speciei. 3. Imò usum  
 unius speciei, tum verbo, tum facto, ipse  
 comprobavit. Verbo quidem, Joan. 6.  
 Facto autem, in Emaus. 4. Quod etiam  
 fecerunt Apostoli, ut ex actibus illorum  
 perspicuum est. 5. Et post Apostolos, pri-  
 mitiva Ecclesia, tam Orientalis, quàm  
 Occidentalis. 6. Et rectè ab iis factum.  
 Nam sub una specie nõ minus continetur  
 totus Christus, quàm sub utraq;. 7. Nec  
 minor fructus percipitur ex una, quàm ex  
 utraq;, cæteris paribus. 8. Et aliunde pos-  
 sunt esse legitimæ causæ, cur potius sub  
 una, quàm sub utraq; communicet Laici.

D 4

Propter



Propter quas etiam statutum est ab Ecclesia, ut sub una deinceps communicarent.

9. Nec adversarii quicquam objiciunt, quod dilui commode non possit. Hæc ego.

III. Quid tu verò, Balduine? Primum ais, omnia argumenta, quæ à me allata sunt, pridem solidissime refutata esse à Joanne Husso. Deinde, tuam etiam refutationem attexis. Cujus hæc ferè capita, seu fundamenta sunt. 1. contendis, omnem institutionem divinam continere præceptum. 2. ac proinde, sicut Christus instituit communionem sub utraq; specie, ita etiam præcepisse. 3. Negas Christum in Emaus unam speciem suo facto comprobasse. 4. Negas Apostolos id fecisse. 5. Et, si Ecclesia primitiva id fecisset, ais te non sequi Ecclesiam, sed Christum. 6. Addis, totum Christum contineri quidem sub una specie personaliter, non tamen sacramentaliter. 7. Et majorem fructum percipi ex utraq; specie, quàm ex una. 8. Nec aliunde esse causas, cur sub una potius, quàm sub utraque communicandum sit. 9. Et hoc efficaciter probari ex illis verbis, *Hoc facite, Comedite, Bibite.* Hæc ferè, quæ directè ad rem pertinent. e

Cur ergo ad hæc tacet Epistola? hic Joanne Rhodus erat; cetera quæ hic tractantur, deli-

4. Addis



4. Addis multa alia, ex quibus ea, quæ sequuntur. 1. Christum secundum humanitatem esse ubique. 2. Christi benedictionem non semper fuisse efficacem. 3. Paulum Apostolum in tertio cælo audivisse verba institutionis Eucharistiæ. 4. antiquos Patres, & nominatim Cyprianum non agnovisse mutationem substantiæ panis, quam vocamus Transubstantiationem. 5. Eucharistiam non esse Sacramentum extra usum. 6. Ministros non debere sumere Eucharistiam, sed tantum alijs porrigere, sicut Christus fecit. 7. falsum esse, quod Christus porrexerit Eucharistiam post lotionem pedum. 8. hoc Sacramento, non modò animam, sed & corpus refici. 9. Abstemios posse quidem communicare sub una specie; suadendum tamen ijs esse, ut integrè abstineant. f

5. Omitto convitia, quæ passim inspergis; quanquam in hoc genere modestior es, quàm pleriq; alij Lutherani in Saxonia g. Omitto inepta & frigida argumenta, quæ tibi familiaria sunt. Et cum illa desunt, nuda verborum assertione, mea refellis, tua astruis h. Deniq; non rarò, cum aliud non occurrit, ad conscientias tenerorum, quas tranquillare videri vis, importunè provocas: præsertim,

D s

quan-

f  
Purpure  
πύργου,  
inepius, in-  
juriisq; plena  
quod docet  
mea Apolo-  
gia.

g  
Tertull. cont.  
Valent. ca. 6.  
Multa sunt  
sic digna re-  
vinci, ne gra-  
vitate ado-  
rentur: vani-  
tati proprie  
festivitas ce-  
dit.

b  
Vide Ref. 2.  
32.



*f*  
Vide Resp. p.  
29. & 30.

*k*  
Vide Resp.  
pag. 32.

*l*  
Hic scilicet  
est ensis A-  
lexandri, qui  
fecit, quod  
solvere ne-  
scit.

*m*  
Albe men-  
tes, sive qui  
hec scribunt,  
sive qui hec  
credunt. Vide  
Resp. p. 13.

quando firmioribus argumentis urgeri to-  
sentis. Tunc enim, responsionis loco iden-  
tidem inculcas illud; *Non satisfit conscien-  
tiji tenerorum. Ad conscientias tenerorum appel-  
lo i.* Cùm tamen nesciam, quos intelli-  
gas nomine tenerorum, qui tam delica-  
tas habent conscientias. Catholicos certè  
non intelligis. Nam illorum conscientijs  
abundè fit satis per unius speciei sumptio-  
nem, ut experientia testis est. Nec Calvi-  
nistas, opinor. Hi enim, non delicati ac  
teneri, sed sacrilegi vobis in hoc Sacra-  
mento sunt. An ergo Lutheranos? At illo-  
rum conscientiaè tranquillatur ex illo  
Lutheri Evangelio; *Sola fides justificat.* Et,  
*nullo opere, nulla lege, Christiano homini opus  
est, cum per fidem liber sit ab omni lege.* Quid  
ergo Lutherani curent legem de utraque  
specie? *k*

*6.* Hæc obiter, Balduine, ex tuis No-  
tis. Ut singula & omnia refellantur, nihil  
necesse est. Nam pleraque aut nullius,  
aut parvi admodum momenti sunt. Et  
legisse, per: refutasse est. *l* Accedit an-  
gustia temporis, qua premo. Vix pau-  
ci dies supersunt ad Nundinas; & jam  
primùm à fideli amico libellum tuum  
nactus sum. *m* Vellem autem, ut iisdem  
Nundinis, quibus lucem aspecturus est,

*mea*



DE COMMUNIONE.

59

mea quoq; refutatione inclariscat. Ergo, omiſſis alijs, hæc pauca capita excutienda ſunt.

1. De Ioanne Huſſo.
2. De Vbiquitate Chriſti.
3. An omnis inſtitutio diuina con-  
tineat præceptum?
4. An debeamus Chriſtum ſequi,  
non Eccleſiam?
5. An Chriſti benedictio ſemper fue-  
rit efficax?
6. An Paulus Apoſtolus in tertio ce-  
lo audiverit verba inſtitutionis?
7. An Patres agnoverint Tranſub-  
ſtantiationem?
8. An Miniſtri debeant tantùm  
porrigere, non autem ſumere  
Euchariftiam?
9. An Chriſtus porrexerit Euchari-  
ſtiam ante, vel poſt lotionem pe-  
dum?
10. An hoc Sacramento, non tan-  
tùm anima, ſed & corpus reſi-  
ciatur?
11. An abſtemij ſub una ſpecie poſ-  
ſint communicare?

Hæc pauca, inquam, hoc tempore. Si  
alias



<sup>n</sup>  
Fiat si ita  
placet, in no-  
mine Domi-  
ni: modò non  
Ibuscum  
fiat iurgium.  
Vide Resp.  
p. 1.

alias oportunum erit, fufius tecum agere  
paratus sum n. Quanquam, quid dico, fu-  
fius? Nihil opus, nifi alia, quæ majoris  
ponderis fint, à te adferantur. Nunc ergo  
ad rem.

## CAPUT I.

## De Joanne Hufso.

1. **I**N Præfatione ad Lectorem, ais, o-  
mnia mea argumenta, antè duo fe-  
rè sæcula, solidiffimè refutata effe à Joan-  
ne Hufso. Verba tua funt hæc; *Ioannis  
Hufsi Constantiffimi Martyris confeflio-  
nem in hoc frontifpicio annotare placet,  
ex qua liquido conftabit, Becanum ea  
ferè omnia in hac fua Difputatione,  
qua fidata opera, corrafiffe, quæ jam an-  
te duo fermè sæcula solidiffimè fuere re-  
futata.*

2. Sed duo hic occurrunt, quæ velim  
mihi explices. Unum eft, fi Joannes Huf-  
sus ante duo sæcula *solidiffimè* refutavit  
mea argumenta, ut tu afferis; quid necesse  
erat, te ijsdem refutandis operam perde-  
re? Vel tu melius id præftas, quàm ille,  
vel deterius. Si tu melius, quomodo il-  
le se-

Vide Resp. p.  
13.



le solidissimè? Si deterius, in quem finem? an ut despici & rideri possis? Hoc alia via poteris assequi. Addo refutationem Hussi, ut à te quidem transcripta est, brevissimam esse: tuam multo verbosiozem. Quid ergo Lectori molestus es, obtrudendo verbosam & inanem, qui brevissima & solidissima contentissimus esse potest?

3. Alterum est, si Hussus, quem Germaniæ p Cyprianum vocas, solidissimè omnia scripsit de Communionem sub utraq; specie: cur postea in progressu ais, errasse illum, quòd caput 6. Joannis, de Sacramentali manducatione interpretatus sit? Certè, si ibi erravit, ubi posuit fundamentum Communionis sub utraq; specie: non potuit ex illo fundamento solidissimè omnia refutare. Nisi apud vos Lutheranos, etiam ex falsis principijs, solidissima veritatis assertio procudi possit: quòd tibi æstimandum relinquo.

<sup>p</sup> Fortasse Bo-  
hemia, nisi  
tibi Germa-  
nia & Bo-  
hemia idem  
sit.

## CAPUT II.

## De Ubiquitate Christi.

1. **D**ixeram in mea Disputatione, vos Lutheranos; cum objicitis nobis,



nobis, quod Laicos fraudemus dimidia parte Christi, exhibendo illis carnem sine sanguine) necessario supponere, Christum mortuum esse in Sacramento: quod sic probavi. Illi censent Christum esse mortuum, qui putant sub specie panis dimidium Christum, & sub specie vini reliquam ejus partem contineri: atqui Lutherani hoc putant, quando obijciunt Catholicis, quod solam carnem Christi exhibeant laicis sub specie panis: Ergo Lutherani censent Christum esse mortuum in Sacramento: quod est absurdum.

2. Ut elueres hanc maculam, Baldvine, novis laqueis te implicuisti. Nam p. 12. sic respondes: *Distingue inter naturalem corporis Christi existentiam, & sacramentalem. Secundum illam sanè, ubi est Christus, ibi totus est secundum hanc autem manifesta est institutio Christi, quæ cum symbolo panis, corpus: cum symbolo vini, sanguinem unitum esse, ac distribui docet. Qua de re plura suo loco q.* Hoc dicis, opinor, Christum totum esse sub una specie per existentiam naturalem; non tamen totum per existentiam sacramentalem. Et remittis nos ad alium locum, ubi plura te dicturum de hac re polliceris.

Id

De his omnibus vide  
Res. p. 41.  
62.



DE COMMUNIONE.

Id præstas pag. 27. his verbis; *Libenter concedimus, Christum non minus sub uno symbolo, quam sub duobus presentem esse in Sacramento; sed non Sacramentali presentia adest, verum personali, secundum quam, ut Deus & homo nullibi inclusus, nullibi exclusus est.* Hic igitur distinguis duplicem præsentiam: unam personalem, qua Christus ubiq; est; alteram Sacramentalem, qua in solo Sacramento est, non tamen totus sub una specie.

3. Nunc quæro, an utroq; loco idem dicas, an diversum? In priori distinguis inter existentiam naturalem & Sacramentalem: In posteriori, inter personalem & Sacramentalem. De Sacramentali, quæ utroq; loco ponitur, non laboro. An naturalis & personalis, idem tibi sint, an diversum, hoc quæro. Si diversum; non cohæret doctrina tua. Nec rectè ex uno loco ad alterum nos remittis. Si idem; cur postea distinguis inter personalem & naturalem? Sic n. habes p. 148. *Distinguendum est inter ista tria; inter præsentiam Christi personalem, naturalem & Sacramentalem. Illam nusquam est exclusus: istam, corpus & anima in Christo semper sunt*



*sunt conjuncta, extra mortem: hac, in Sacramento tantum conjuncta sunt.*

4. Hic primum miror tuam inconstantiam. Tribus locis; ter mutasti. Primo loco agnoscis naturalem & Sacramentalem presentiam: Secundo, personalem & Sacramentalem: Tertio, personalem, naturalem & Sacramentalem. Sed sine dubio, posteriores cogitationes sunt meliores prioribus. Accipiamus ergo, quod ultimo loco dixisti, tres esse presentias Christi, personalem, naturalem, & Sacramentalem. Quam vero vocas personalem? Eam, inquis, qua Christus, etiam secundum humanitatem, ubique est, & nullibi exclusus. Valdè dubito, an satis ipse intelligas, quid velis. Nam hoc monstrum Ubiquitatis ita varium ac impenetrabile est, ut non solum omnes  
 Catholici & Calvinistæ, sed plerique etiam  
 Lutherani fateantur se assequi non posse.  
 Tu tamen, quia aliter à morte Christum  
 vindicare non potes, ad hoc asylum ex desperatione, confugisti. Sed dic sodes, quomodo intelligis hanc propositionem: *Christus per presentiam personalem est ubique?* Vis hoc solum dicere, personam Christi ubique esse? Rectè quidem: sed nihil ad rem,

*Magnum  
verbum, ma-  
gne nuge.*

*Scilicet, ad  
desperatio-  
nem me ade-  
gisti! Risum  
teneatis a-  
mici.*



## DE COMMUNIONE.

rem. An hoc etiam, humanitatem Christi esse ubique? Nisi hoc dicas, nihil dicis. Et tamen, si hoc dicis, planè non intelligis, quid dicas. Nam si humanitas Christi, ubiq; est: per quid quæso, ubique est? per præsentiam, inquis, personalem. Sed persona Christi, seu verbi, per quid ubiq; est? Sine dubio, per immensitatem. At Immensitas est attributum essentialè, & commune toti Trinitati. Sicut enim æternitas, & omnipotentia: sic etiam immensitas tribus personis cõmunis est. Hoc patet ex Symbolo Athanasij, quod sic habet: *Immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus sanctus. Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus sanctus. Et tamen non tres æterni sed unus æternus: sicut non tres immensi, sed unus immensus. Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus sanctus. Et tamen non tres omnipotentes, sed unus omnipotentes.* Hic vides, Balduine, Immensitatem, qua Deus ubiq; est: Æternitatem, qua semper est: & omnipotentiam, qua omnia operatur: esse tria attributa, quæ toti Trinitati communia sunt. Sicut ergo Pater, Filius, & Spiritus sanctus, sunt æterni & omnipotentēs

E

tentes



rentes per unam numero æternitatem & omnipotentiam: sic etiam sunt ubiq; per unam numero immensitatem. Si ergo humanitas Christi per eandem immensitatem ubiq; est, necessario sequitur, per eandem quoq; æternitatem, æternam esse: & per eandem omnipotentiam, omnipotentem: & sic de alijs attributis essentialibus. Omnia enim sunt una & indivisibilis entitas, in qua nulla multitudo, nulla distinctio, (exceptis relationibus) locum habet. Hic vide, quid respondeas.

Vide Resp.  
pag. 43.

5. Quod addis de præsentia naturali & sacramentali, non satis intelligo. Vel idem dicis, quod nos vel diversum. Si idem, quid litigas? Si diversum, explica te. Nos dicimus, vi Sacramenti, seu vi istorum verborum, *Hoc est corpus meum*, solum corpus Christi præsens esse sub specie panis: sanguinem verò, & animam rationalem, per naturalem concomitantiam. Cum enim corpus illud vivum sit, naturaliter debet esse conjunctum cum sanguine & anima rationali. Tu dicis, per existentiam sacramentalem, solum corpus Christi præsens esse sub specie panis; & reliqua, per naturalem. Quid hic differs à nobis, nisi forte verbis? Nam, quod nos dicimus, vi sacramenti, adesse; hoc tu dicis, per



DE COMMUNIONE.

67

per sacramentalem existentiam, adesse. Et  
rursum, quod nos dicimus, per naturalem  
concomitantiam, hoc tu vocas naturalem exi-  
stentiam. Si ita est, quid verbo negas, quod  
re ipsa admittis? Sin secus, cur non diser-  
tè te explicas?

CAP. III.

*An omnis institutio divina con-  
tineat præceptum?*

I.

**T**U affirmas, pag. 19. his verbis; *Dico  
omnem institutionem DEI includere præ-  
ceptum, quo obligantur ij, in quorum gratiam  
aliquid instituitur.* Hic quæro, in quorum  
gratiam institutum sit matrimonium? An  
tantum in eorum, qui revera matrimoni-  
um ineunt? Hoc non dixeris Alioqui, qui  
cœlibatum servant, ex divina institutio-  
ne exclusi essent à matrimonio: & conse-  
quenter, si omnis institutio includeret præ-  
ceptum, ut tu vis, etiam divino præcepto  
à nuptijs arcerentur; quod sanè falsum  
est. Si ergo in gratiam omnium homi-  
num, cum adoleverint, institutum à Deo  
matrimonium est (nemo enim vi institu-

E a

tionis



<sup>s</sup>  
Vide Resp.  
pag. 34.

tionis excluditur) necesse erit ex tua doctrina, omnes homines divino præcepto obligari ad matrimonium s. At hoc est contra Apostolum, 1. Corinth. 7. 8. Dico autem non nuptis & viduis, bonum est illis, si sic permaneant. q. d. bonum est, ut non nuptæ, permaneant non nuptæ; & ut viduæ, permaneant viduæ. Non ergo præceptum divinum est, ut non nuptæ, matrimonium incedant.

<sup>e</sup>  
Vide Resp.  
pag. 47.

2. Addis pag. 18. hunc syllogismum; Pro quibus totum Sacramentum Cœnæ fuit institutum, ijs etiam præcepta est totius Sacramenti usurpationis. Pro omnibus Ecclesie civibus Sacramentum totum fuit institutum: Ergo ejus usurpationis omnibus Ecclesie civibus præcepta fuit. Ego in simili forma, hunc tibi rehero; pro quibus matrimonium fuit institutum, ijs etiam præcepta est matrimonij usurpationis. Pro omnibus Ecclesie civibus matrimonium fuit institutum: Ergo ejus usurpationis omnibus Ecclesie civibus præcepta fuit. Admittis hoc Balduine? Vide, quid dicas. Alioqui fatendum tibi erit, eos non fuisse Ecclesie cives, qui matrimonium non usurparunt; inter quos fuit Apollolus Paulus, qui de seipso dixit, 1. Cor. 7. 7.

Volo



*Volo omnes homines esse, sicut meipsum:  
sed unusquisque proprium donum habet  
ex Deo; alius quidem sic, alius verò sic.*

3. Jam illa conclusio tui syllogismi,  
(*Ergo totius Sacramenti usurpatio om-  
nibus Ecclesiae civibus præcepta fuit*)  
quomodo consistit cum eo, quod alibi di-  
cis, Ministros Ecclesiae non debere usur-  
pare Sacramentum Eucharistiae, sed alijs  
duntaxat distribuere *u?* Si enim, ex tua  
sententia, usurpare Sacramentum non  
debent; sanè, vel Ecclesiae cives non sunt;  
vel si sunt, falsum est, quod concludis,  
omnes Ecclesiae cives præcepto teneri ad  
totius Sacramenti usurpationem. Sed de  
hoc iterum, cap. 8.

*u*  
Vide Resp.  
pag. 35.

## CAPUT IV.

*An debeamus Christum sequi,  
non Ecclesiam?*

I. **N**Os quidem, & Christum sequi vo-  
lumus, qui de seipso dixit; *Ego sum  
via, veritas & vita: Et similiter sponsam e-  
jus Ecclesiam, de qua idem dixit; Qui Ec-  
clesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & pu-  
blicanus.* At tu, Balduine, nescio quo spi-

E 3

ritu



x  
Vide Resp.  
pag. 48.

ritu impulsus, aliter sentis x. Ais enim  
pag. 92. Non sequimur Ecclesiam, sed Chri-  
stum. Perinde, ac si dicas; Non sequimur  
Sponsam, sed Sponsum. An nescis, Chri-  
stum & Ecclesiam indissolubili vinculo  
conjunctos esse? Audi Apostolum, Eph.  
5, 3. Relinquet homo patrem & matrem  
suam, & adhaerebit uxori suae; & erunt  
duo in carne una. Sacramentum hoc  
magnum est: Ego autem dico, in Chri-  
sto & Ecclesia. An nescis Ecclesiam fun-  
datam esse supra firmam petram, ut labi  
non possit? An nescis, firmanentum esse ve-  
ritatis? In ventre Ecclesiae, inquit S. Augusti-  
nus, veritas manet. Quid ergo in mentem  
tibi venit, ut palam profiteri ausis, te non  
sequi Ecclesiam, sed Christum? Non po-  
tes sequi Christum, nisi & Ecclesiam sequa-  
ris. Hoc ipse fatetur, cum ait; Qui vos au-  
dit, me audit: & qui vos spernit, me spernit.

y  
Anus. ad ar-  
millum: Be-  
canus ad  
sua cornua.

2. Planius tecum agam. Vel putas Chri-  
sti Ecclesiam errare posse in doctrina, vel  
non posse. Si non potest errare, cur eam  
sequi non vis y? Si potest, vel tu in Eccle-  
sia non es, vel similiter cum Ecclesia erra-  
re potes. Si errare cum illa potes; profe-  
ctò, sicut illam sequi non audes, ita nec  
teipsum sequi debes. Imò, nec Discipuli,  
quos



quos Wittenbergæ instruis, sequi te debent. Quis enim errantem sequatur?

## CAP. V.

*An benedictio Christi fuerit  
semper efficax?*

1.

**E**GO in mea Disputatione asserui; sed cum duplici limitatione. 1. quod hoc velim intelligi de ea benedictione, cujus mentio fit in Evangelio. 2. de ea, quæ facta est circa panem. Itaq; plena mea assertio est hæc, omnem Christi benedictionem, quam in Evangelio legitur fecisse circa panem, fuisse efficacem, & alicujus mysterij seu miraculi effectricem. Hanc sic probavi; Christus in Evangelio ter legitur benedixisse panem. Primo, in multiplicatione panum & piscium. Secundo, in ultima cœna. Tertio in Emaus. Et semper aliquid mysterij seu miraculi operatus est. Ergo omnis Christi benedictio circa panem, quam in Evangelio legimus, fuit efficax.

2. Contra hanc meam assertionem sic scribis, Balduine, pag. 64. *Nulla nos cogit evidens necessitas, ut dicamus bene-*

E 4

dictio.



ditionem Christi semper importare aliquid mysterij seu miraculi. Nam Marci 10, 16 *imposuit manibus benedixit infantibus ad se allatis, nec quicquam secutum est vel miraculi, vel mysterij.* Et benedictio panis ipsi familiaris fuit, non ex peculiari aliquo consilio, sed communi illa ratione, qua cibi omnes sanctificantur per verbum & precationem, 1. Timoth. 4, 5.

3 Nescio, an his verbis directè velis me oppugnare; an solùm aliquid dicere. Si oppugnare vis, certè non efficis, quod conaris. Nam primò extra rem adfers illud de infantibus. Mea enim assertio fuit hæc; benedictionem Christi *circa panem*, fuisse semper efficacem. An putas hanc enervari, si opponas, non fuisse efficacem *circa infantes*? Ludis Balduine. Et unde, obsecro, tibi constat, circa infantes non fuisse efficacem? *quia nihil, inquis, miraculi vel mysterij secutum est.* Audio. Sed quomodo id probas? Legamus Evangelium. Tunc, inquit Matthæus, *oblatis sunt ei parvuli, ut manus eis imponeret & oraret.* Hic primùm adverte, quo animo parentes obtulerint Christo suos parvulos. Nempè, ut manus eis imponeret, & oraret. Et quid inde sperare poterant?

Aliquid



Aliquid sanè. Sciebant enim, non solum antiquos Patriarchas, eximia quædam beneficia largitos esse suis filiis ac nepotibus, per benedictionem; sed etiam Christum, qui tunc præsens aderat, præclara miracula, tum attactu manuum, tum oratione, tum alijs externis signis, in Judæa perpetrasse. Igitur hac freti confidentia, offerebant illi parvulos, ut & illis similiter aliquid doni, seu gratiæ impartiretur. Quis autem credat, Christum orando pro illis, & sacratissimas manus imponendo, parentum spem elusisse, & nihil peculiare circa parvulos operatum esse? Nemo, nisi Balduinus.

4. Jam, quod addis, benedictionem panis fuisse Christo familiarem; vel generatim accipis de quacunque benedictione, quam Christus adhibuit pani; & sic iterum extra scopum vagaris: vel de ea speciatim, cujus aperta fit mentio in Evangelio; & sic non rectè loqueris. Nam in Evangelio, non sæpius, quam ter, invenio Christum benedixisse panem, ut supra notavi. Quod autem quis legitur ter tantum fecisse, non proprie dicitur fuisse illi familiare. Alias necesse erit fateri Petro familiarem fuisse negationem Christi, quia ter Christum negavit. Simi-

<sup>z</sup>  
Becano do-  
nam sive  
gratia, &  
miraculum  
seu mysteri-  
um est unum  
& idem.

<sup>et</sup>  
Vide Resp  
p. 17.

E s liter



liter Paulo familiare fuisse, cædi virgis, & naufragium pati, quia ter virgis cæsus & naufragium passus legitur. Quæ omnia absurda sunt.

β  
Vide Resp.  
Pag. 49.

5. Denique, quod annectis, *benedictionem panis*, ex communi consuetudine, non ex peculiari aliquo consilio, fuisse à Christo usurpatam, sine dubio falsum est β. Vel enim loqueris de illa sola benedictione panis, cujus fit mentio in Evangelio; vel de omni. Illud prius dici non potest, quia certum est, triplicem illam benedictionem, cujus fit mentio in Evangelio, factam esse ex peculiari consilio. Quis enim neget, Christum ex peculiari consilio benedixisse panem in solitudine, quando aliquot millia hominum satiavit? in cœna ultima, quando sacramentum instituit? in Emaus, quando Discipulorum oculos aperuit? Hinc colligo, nec posterius dici posse. Non enim potest generatim verum esse de omni benedictione, quod speciatim falsum est de aliqua; at jam ostendi falsum esse de triplici benedictione Evangelica, quod non sit facta ex peculiari aliquo consilio: Ergo etiam falsum est de benedictione generatim sumpta.

CAP.



## CAP. VI.

*An Paulus in tertio cælo audi-  
verit verba institutionis  
Eucharistiæ?*

I.

**H**Oc tu affirmas Balduino, pag. 28. cum  
ais; D. Paulus verba institutionis in ter-  
tio cælo repetita & declarata audivit. Vis hoc  
dicere, verba institutionis, quæ in ultima  
cæna coram aliis Apostolis primùm pro-  
lata sunt; eadem in tertio coram Paulo,  
(qui in ultima cæna non fuerat,) repetita  
esse, & secundum legitimum sensum ex-  
plicata. Sed unde hoc habes, mi homo?  
Scribit quidem Paulus de seipso, 1. Cor.  
II, 23. *Ego enim accepi à Domino, quod & tra-  
didi vobis.* Sed non addit, se accepisse in  
tertio cælo. Nec verisimile est, triplici de  
causa. Primo, quia quæ audivit in tertio  
cælo, erant arcana verba, quæ non licet  
homini loqui, ut ipse de se fateatur. 2. Cor.

12, 4. *Raptus est in Paradisum, & audivit ar-  
cana verba, quæ non licet homini loqui.* At ver-  
ba institutionis Eucharistiæ non sunt ar-  
cana, quæ non liceat homini loqui. Ergo  
verba institutionis Eucharistiæ, verisimi-  
le est, non audivisse in tertio cælo. γ

*Lutum hoc  
quod sper-  
sit mihi Be-  
canus, non  
regeſi, sed  
purgavi  
2. Sed pag. 17.*



2. Sed multo efficacius id convinco ex his principijs. Primum est, quod raptus Pauli in tertium cœlum, contigerit multis annis post conversionem. Nam conversio ejus (in via prope Damalcum) facta est anno Domini 35. Raptus autem contigit 14. annis ante scriptam posteriorem epistolam ad Corinthios, ut ipse fateatur. 2. Corinth. 12. 2. his verbis; *Scio hominem in Christo ante annos 14. raptum usque ad tertium calum.* Porro epistola illa scripta est anno Domini 58. Unde necesse est, raptum contigisse anno 44. ac proinde inter conversionem & raptum, plusquã octennium intercessisse. Videri potest Baroniustomo 1. annalium, Serarius in Paulo, & alij, qui hanc rem diligenter examinarunt. Alterum principium est, quod Paulus statim post conversionem, cepit Evangelium Christi prædicare, ut patet Act. 9. 20. ubi statim post conversionem, *ingressus in Synagogas, prædicabat Jesum, quoniam hic est filius Dei: Et confundebat Judæos qui habitabant Damasci.* Tertium est, quod Evangelium Christi, quod statim post conversionem cepit prædicare, non didicerit ab hominibus, sed ab ipso Christo, ut patet  
 ex



ex illo, ad Galat. 1, 11. *Notum vobis facio Evangelium, quod Evangelizatum est à me, quia non secundum hominem: neque enim ego ab homine accepi illud, sed per revelationem Iesu Christi.* Quartum est, quòd institutio Baptismi, & Eucharistiæ, pertineat ad Evangelium Christi; ac proinde nemo possit perfectè prædicare Evangelium Christi, nisi sufficienter instructus sit de institutione Baptismi & Eucharistiæ. Cum enim sint Sacramenta novæ legis, seu Evangelij, eorum notitia necessaria est ad plenam notitiam novæ legis & Evangelij.

3. Ex his principijs sic concludo, Paulus statim post conversionem (quæ octennio præcessit raptum ipsius ad tertium cælum) missus fuit ad prædicandum Christi Evangelium, & sine dubio sufficienter instructus de ijs, quæ ad illud munus requirebatur: at qui notitia institutionis Eucharistiæ requirebatur ad munus prædicandi Evangelium Christi: Ergo de illa fuit sufficienter instructus; statim post conversionem. Ergo in raptu, qui octennio post contigit, non didicit verba institutionis, sed multò ante perspecta habuit.

4. Hoc ipsum evidenter colligitur ex illo, ad Gal. 1, 15. *Cum autem placuit ei, quòd*



vocavit me per gratiam suam, ut revelaret filium suum in me, ut Evangelizarem illum in gentibus, continuo non acquievi carni & sanguini, neque veni Jerosolymam ad antecessores meos Apostolos, sed abij in Arabiam, & iterum reversus sum Damascum. Hic enim tria insinuantur, quæ ad rem nostram faciunt, 1. quod in prima conversione, quæ contigit in via prope Damascum, revelatus sit illi filius Dei. 2. quod in eum finem revelatus sit, ut Evangelizaret eum in gentibus. 3. quod statim profectus sit in Arabiam, ut præstaret, quod ipsi injunctum erat. At cur non potius ivit Jerosolymam ad Petrum & Jacobum, ut ab iis instrueretur, & Judæis, qui carne & sanguine conjuncti illi erant, Christum annunciarer? Causa in promptu est, tum quia majori instructione non indigebat, cum à Christo sufficienter esset edoctus; tum, quia Christus non miserat illum, ut Judæis, sed ut gentibus Evangelium annunciarer. Sic enim de illo loquitur ad Ananiam, Act. 9, 15. *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus.* Et ipse de seipso, ad Galat. 2, 7. *Creditum est mihi Evangelium præputij, sicut Petro*

CIRCUM-



*circumcisionis. Qui enim operatus est Petro in Apostolatam circumcisionis; operatus est & mihi inter gentes.*

5. Accedit tertium argumentum; quia alij Apostoli, qui ultimæ coenæ præsentem interfuerant, non minus sciebant verba institutionis Eucharistiæ, quam Paulus, qui præsens non interfuit, sed postea audivit. At ea, quæ in tertio cælo revelata sunt Paulo, non erant æquæ alijs Apostolis perspecta. Ergo inter ea non sunt numeranda verba institutionis. Minor probatur, quia Paulus 2. Cor. II. & 12. confærens se cum alijs Apostolis, disertè ait, in plerisque se non esse illis inferiorem. Existimo, inquit, nihil me minus fecisse à magnis Apostolis. In multis etiam superiorem, præsertim in revelationibus, quæ in tertio cælo, illi acciderunt. At quomodo in iis superior esset, si de institutione Eucharistiæ duntaxat, & similibus rebus fuisset ibi instructus? Hæc pauca habui, Balduine, quæ tibi opponerem. Tu, si quid validius occurrat, vicissim regere, si videbitur.

Me miserum! quæ hic respondere nō possum: sed cū Homericis Telemachis facerem corgor, λευγαλέοι τ' εὐόμεθα, καὶ κεδανότες ἀλακλώ.

CAP. VII.

*An Patres agnoverint Transubstantiationem?*

TU



i. **T**U negas, pag. 65. his verbis;  
*Quod autem conversionis aut mutati-  
 onis aliquando meminerunt Patres, non  
 intellexerunt Transselementationem,  
 qualis in Papatu docetur, sed mutatio-  
 nem Sacramentalem, qua elementa ex-  
 terna (panis & vinum) à communi &  
 vulgari usu ad usum mysticum & Sa-  
 cramentalem consecrantur.*

2. Duo hic dicis, ut video. 1. quod Pa-  
 tres, quando loquuntur de mutatione seu  
 conversione, quæ fit in Eucharistia, non  
 intelligant talem mutationem, qualis in  
 Papatu docetur. 2. quod intelligant talem,  
 qualis in Lutheranismò defenditur. Mu-  
 tatio autem, quæ in Papatu docetur, con-  
 sistit in reali & substantiali conversione,  
 qua substantia seu natura panis mutatur  
 in substantiam seu naturam carnis Chri-  
 sti. At quæ apud Lutheranos defendi-  
 tur, in eò solum consistit, quòd panis, re-  
 tinens substantiam & naturam panis, à  
 communi & vulgari usu transferatur ad  
 usum mysticum & Sacramentalem; sicut  
 olim in antiquo Testamento, panes pro-  
 positionis, retinebant quidem naturam &  
 substantiam panis, sed tamen eorum usus  
 non permittebatur passim omnibus, sed  
 iis p<sup>er</sup>



his potissimum, qui in templo serviebant.  
Et hoc solo, à laicis panibus distingueban-  
tur. s

3. Videamus nunc, de qua mutatione  
loquantur Patres; an de ea, quam Luthe-  
rani, an potius de ea; quam nos Catholici  
agnoscimus & profiteamur. Nec difficile  
erit iudicare, si verba, mentem, & sco-  
pum illorum inspiciamus. Ac primo loco  
occurrit Ambrosius, qui de hoc Argu-  
mento ex professo scripsit in libro de his,  
qui mysterijs iniciantur, c. 9. ubi sic habet,  
*Forte dicas, aliud video, quomodo tu  
mibi asseris, quod Christi corpus accipi-  
am? & hoc nobis adhuc superest, ut pro-  
bemus, Quantis igitur utimur exem-  
plis, ut probemus non hoc esse, quod na-  
tura formavit, sed quod benedictio con-  
secravit: majoremque vim esse benedi-  
ctionis, quam naturæ; quia benedictio-  
ne etiam ipsa natura mutatur. Virgam  
tenebat Moyses, projecit eam, & facta  
est serpens. Rursus apprehendit caudam  
serpentis, & in virga naturam reverti-  
tur. Vides igitur prophetica gratia bis  
mutatam esse naturam, & serpentis &  
virga. Currebant Egypti flumina puro*

Ad hæc o-  
mnia suffi-  
ciens vide  
Resp. p. 16.

F

aqua



aquarum meatu, subito de fontium ve-  
 nis sanguis coepit erumpere. Non erat  
 potus in fluviis, rursus ad Prophetæ vo-  
 ces cruor cessavit fluminum, aquarum  
 natura remeavit. Circumclusus undiq̃  
 erat populus Hebraeorum, hinc Ægyptus  
 vallatus, inde mari clausus. Virgam le-  
 vavit Moyses, separavit se aqua, & in  
 murorum speciem congelavit; atq̃ in-  
 ter undas via pedestris apparuit. Iorda-  
 nis retrorsum conversus contra natu-  
 ram in sui fontis revertitur exordium.  
 Nonnè claret naturam, vel matrimo-  
 nium fluctuum, vel fluvialis cursus esse  
 mutatam? Sitebat populus patrum, te-  
 tigit Moyses petram, & aqua de petra  
 fluxit. Nunquid non præternaturam  
 operata est gratia, ut aquam vomeret  
 petra, quam non habebat natura? Ma-  
 rath fluvius amarissimus erat, ut sitiens  
 populus bibere non posset. Misit lignum  
 in aquam, & amaritudinem suam a-  
 quarum natura deposuit, quam infusa  
 subito gratia temperavit. Sub Eliseo  
 Propheta uni ex filiis Prophetarum ex-  
 cussum est ferrum de securi, & statim  
 mersum



mersum est. Rogavit Eliseum, qui amiserat ferrum; misit etiam Eliseus lignum in aquam, & ferrum natavit, utiq; hoc præter naturam factum esse agnoscimus. Gravior est enim ferri species, quam aquarum liquor. Advertimus igitur majoris esse virtutis gratiã, quam naturam, & adhuc tamen propheticæ benedictionis numeramus gratiam? Quod si tantum humana valuit benedictio, ut naturam converteret, quid dicimus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur? Nam Sacramentum istud, quod accipis, Christi sermone conficitur. Quod si tantum valuit sermo Elie, ut ignem de cælo deponeret, non valebit Christi sermo, ut species mutet elementorum? de totius mundi operibus legisti; Quia ipse dixit, & facta sunt; ipse mandavit, & creata sunt; sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere, quod non erat, non potest ea, que sunt in id mutare, quod non erant?

F 2

Non



Non enim minus est novas rebus dare,  
quàm mutare naturas. Sed quoad ar-  
gumentis utimur? suis utamur exem-  
plis, incarnationisque astruamus myste-  
rii veritatem. Nunquid natura usus  
precessit, cum Jesus Dominus ex Maria  
nasceretur? si ordinem quarimus, viro  
nupta foemina generare consuevit. Li-  
quet igitur, quod præter natura ordi-  
nem virgo generavit; & hoc quod con-  
ficimus, corpus ex Virgine est. Quid his  
quæris natura ordinem in Christi corpo-  
re, cum præter naturam sit ipse Dominus  
Jesus partus ex Virgine? vera utiq; caro  
Christi, quæ crucifixâ, quæ sepulta est;  
verè ergo carnis illius sacramentum est.  
Ipsè clamat Dominus Jesus, Hoc est cor-  
pus meum: ante benedictionem verbo-  
rum cœlestium, aliâ species nominatur,  
post consecrationem, corpus Christi signi-  
ficatur. Ipsè dicit sanguinem suum. An-  
te consecrationem aliud dicitur, post  
consecrationem sanguis nūcupatur. Et  
tu dicis, Amen, hoc est, verum est; quod  
os loquitur, mē interna fateatur, quod  
sermo sonat, affectus sentiat.



DE COMMUNIONE.

85

Ex his verbis Ambrosii colligo duo efficacia argumenta pro Catholicis, contra Lutheranos. Unum est, quod Ambrosius loquatur de mutatione, qua ipsa natura panis mutatur. *Quantis, inquit, exemplis utimur, ut probemus non hoc esse, quod natura formavit; quia benedictione (Sacramentali) etiam ipsa natura (panis) mutatur.* Alterum est, quod conetur ostendere, huiusmodi mutationem, qua natura panis convertitur in carnem Christi, non esse Deo impossibilem. Ostendit autem generatim tripliciter. Primò, quia Deus potuit facere, ut naturæ rerum existerent, quæ antea non existebant: Ergo potest facere, ut postquam jam existunt, natura unius mutetur in naturam alterius. Secundo, potuit facere, ut virga Moïsis mutaretur in serpentem, & iterum, serpens mutaretur in virgam, ita ut facta fuerit mutatio secundum naturam. (Hoc enim significat illa verba; *Vides, bis mutatam esse naturam, & serpentis, & virgæ.*) Cur non possit efficere, ut natura panis mutetur in naturam carnis? Tertiò, potuit multa alia facere, quæ supra naturam sunt, ut nimirum aquæ Ægypti mutarentur in sanguinem: ut aqua amara fieret dulcis: ut ferrum securis nataret super aquam: ut ignis de coelo

F 3

descen-



descenderet : ut Christus nasceretur ex Virgine, Cur non possit efficere, ut substantia panis, supra naturam, mutetur in substantiam carnis?

5. Quid, obsecro, necesse erat, Ambrosium uti his argumentis & exemplis, quibus probaret naturas rerum à Deo mutari & transmutari posse, si nihil aliud voluisset ostendere, quàm fieri à Deo posse, ut panis, manente natura panis, à vulgari usu transferatur ad Sacramentalem, nulla facta mutatione substantiæ? Nihil profecto. Multo melius hoc ostendisset, exemplo sumpto à panibus propositionis, qui in veteri Testamento, sine ulla naturæ mutatione, à profano ad sacrum usum deputari erant.

6. Cum Ambrosio sentiunt alij Patres. Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 4. mystagogica; *Aquam, inquit, mutavit in vinum in Cana Galilea sola voluntate; & non erit dignus, cui credatur, quod vinum in sanguinem transmutarit? Si enim ad nuptias corporeas invitatus, stupendum miraculum operatus est; an non multo magis corpus & sanguinem suum, filiis sponsi dedisse illum confitebimur? quare omni cum*  
certitu-



certitudine, corpus & sanguinem Christi sumamus: nam sub specie panis datur tibi corpus, & sub specie vini datur tibi sanguis. Et infra; Qui videtur panis, non est panis, etiamsi gustu ita appareat, sed corpus Christi: & quod videtur vinum, non est vinum, etiamsi gustus id vedit, sed sanguis Christi. Ex hoc testimonio sumo tria argumenta. Primum, sicut Christus in Cana Galilee mutavit aquam in vinum; sic in ultima cœna mutavit vinum in sanguinem. At aqua realiter & substantialiter mutata est in vinum: Irgo etiam vinum realiter & substantialiter mutatum est in sanguinem. Alterum; S. Christus in nuptiis corporeis, stupendo miraculo, convertit aquam in vinum; magis stupendo miraculo, in convivio spiritali, mutavit vinum & panem in sanguinem & corpus suum. At non esset magis stupendum miraculum, imo nemiraculum quidem, si panem & vinum non aliter mutasset, quam ex prophano usu ad sacrum transferendo. Quid enim miraculi fuit in panibus propositionis? Hactenus nemo agnovit. Tertium; Falsis fuit illa conversio panis in ultima cœna, ut post conversionem non amplius



esset panis, sed corpus Christi: ergo necesse est, naturam panis fuisse mutatam. Si enim mansisset natura panis, utique mansisset panis. Et si mansisset panis, quomodo verum esset, quod ait Cyrillus; *Qui videtur panis, non est panis, sed corpus Christi?*

7. Audiamus & alios. Cyprianus sermone de cœna Domini? *Panis iste, inquit, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia verbi factus est caro.* Quis chrius? Panis, inquit, mutatus est. Qua vi & virtute? Omnipotentia verbi. Et quomodo mutatus? Non effigie, sed natura. Et in quid mutatus? in carnem Christi. *Factus est, inquit, caro.* Longè hæc distat a mutatione, quàm Lutherani agnoscunt: ab illa, inquam, mutatione, qua non aliud fit, quàm quod panis, qui antea communi mensæ serviebat, nunc ad sacri deputatus sit. Ad hoc enim non requiritur omnipotentia verbi; non mutatio naturæ; non conversio in carnem Christi.

8. Hilarius lib. 8. de Trinitate; *De veritate carnis & sanguinis non est elictus ambigendi locus. Nunc enim & ipsius homini professione, & fide nostra verè caro est, & verè sanguis est: & hæc accepta atque haust ad efficiunt, ut & nos in Christo, & Christus in nobis sit.* Hic explicat Hilarius terminum illius mutationis,



tionis, quæ fit in Sacramento Eucharistiæ. Nec alium agnoscit, quàm verè carnem, & verè sanguinem. Quod brevissimè dixit Gregorius Nyssenus orat. catechetica cap. 37. *Rectè nunc quoque credo, Dei verbo sanctificatum panem, in Dei verbi corpus transmutari.* Et hæc ipsa transmutatio est, quam nos Catholici profiteamur.

9. Pluribus testimoniis opus non est. Nam ea, quæ adduxi, tam clara & perspicua sunt, ut non nisi ab homine pertinaci ac impudente, eludi non possint. Nec tu aliter, Balduine, affirmare ausis, sat scio.

§  
Becanus al-  
bis invidus  
equis, in ca-  
pitulum  
adscendit,  
sine senatus  
consulto.

## CAP. VIII.

*An Ministri debeant tantum porrigere, non autem sumere Eucharistiam?*

**H**Oc tu asseris, Balduine; Et nescio, an ullus ante te unquam. Sic enim scribis pag. 261. *Ministrantes jubentur facere, quod Christus fecit. Christus autem non edit consecratum panem (hoc enim apud nullum Evangelistam legitur) sed distribuit panem & calicem o-*

F 5 *mnibus*



omnibus suis communicantibus. Idem ergo & Discipuli facere iubentur; nimirum non edere panem consecratum, & bibere de calice benedicto, sed alijs utranque speciem communicare.

¶  
 Equo animo  
 fronda  
 sunt immanes  
 eorum iudicia,  
 inquit  
 Sancta &  
 ad beneficia  
 contendenti  
 contemnat.  
 Quis est iste  
 contemnat.  
 V. de Reg.  
 p. 11.  
 ¶  
 Modestus  
 Becani.

2. Verè dictum est, nihil esse tam absurdum, quod non inveniat authorem. An non absurdum est asserere, Apostolos, & alios Ministros, Apostolorum successores, iussos esse à Christo non sumere Eucharistiam, sed alijs duntaxat ministrare? Et tu tamen hoc asseris. Sed & illud verè dictum est, oportere mendacem sui memorem esse. Hic peccasti, Balduine. Nam pag. 274. nihil de tuo mendacio cogitans, te ipsum mendacij arguis, cum ais; Scimus utiq; Apostolis multa esse dicta, presertim quæ manibus ipsorum concernunt, quæ ad alios applicari non possunt. Interea tamen, & hoc verum est, unam esse apud Deum rationem salutis ac justificationis nostræ, eadem etiam media atque organa, eundem modum, tam quoad Apostolos, quàm quoad fideles. Idcirco, quemadmodum omnibus vigilantia atq; cura opus est, ne à Diabolo circumventi, gratia Dei, fide & salute

excusa



excident; ita omnibus æquè ijsdem medijs opus est, quibus in fide confirmari, in pugna contra Diabolum animari, & ad salutem conservari queant: inter qua media non postremum est Eucharistiae Sacramentum. Quam ob causam non male dictum illud, Quod vobis dico, omnibus dico, ad negotium Sacramenti accommodatur.

3. Quomodo poterat apertius reipsum jugulare? Antea sic ratiocinabaris; Apostoli & alij Ministri jubentur facere, quod Christus fecit: At Christus non sumpsit Eucharistiam, sed tantum alijs porrexit: Ergo Apostoli & alij Ministri jubentur non sumere Eucharistiam, sed alijs duntaxat porrigere. Hic autem, tui planè immemor, sic concludis; Media salutis sunt omnibus æquè necessaria, tam Apostolis, quàm alijs: atque inter media salutis, præcipuum est Sacramentum Eucharistiae: Ergo Sacramentum Eucharistiae omnibus, tam Apostolis, quàm alijs, æquè necessarium est. Quomodo hæc conclusio cohæret cum priori?

Hic



Hic colligis, Sacramentum Eucharistiae omnibus aequè necessarium esse, etiam Apostolis & Ministris. Ibi contra, Apostolos & Ministros, jussu Christi, arceri à perceptione Eucharistiae. Abi cum tuis ineptiis.

---

CAP. IX.

*An Christus porrexerit Eucharistiam ante, an post lotionem pedum?*

**H**IC etiam novi aliquid sectatus es. Fortè, ut ferè sectarius haberi possis. Sic enim habes pag. 309. Scribit Becanus, *Christum distribuisse Eucharistiam, lotis prius pedibus, quod falsum est: alias sequeretur, Judam Ischariotem non intersuisse sacrae cœnae, quia post lotionem pedum, accepta ossa, egressus scribitur, Joannis 13. Divus Lucas autem testatur, cum Christus sacram cœnam instituit, manum proditoris sui cum ipso fuisse in mensa.*

2. Ergo ex tua sententia, Christus lavit pedes Apostolorum post cœnam Eucharisticam;



sticam; quod sic probas; Judas interfuit  
 cœnæ Eucharisticæ: At non interfuisset,  
 si celebrata esset post lotionem pedum,  
 quia post lotionem, accepta offa, egressus  
 est. Miror tuam subtilitatem. Demus hoc,  
 Judam interfuisse. Demus etiam, post lo-  
 tionem pedum, accepta offa (ut tu loque-  
 ris) egressum esse. An hinc sequitur, sta-  
 tim post lotionem, nulla morâ interposi-  
 ta, egressum esse? Neque tu affirmare hoc  
 ausis. Nam si inter lotionem pedum, &  
 egressum Judæ, nihil moræ fuisset inter-  
 positum; quomodo offam accepisset post  
 lotionem, ante egressum? Aut, si tantum  
 erat temporis interjectum, ut offam su-  
 meret; cur non etiam, ut Eucharistiam  
 sumeret?

3. Sed clariùs tecum agam. In última  
 illa cœna, de qua agimus, multa contige-  
 runt. 1. facta est cœna legalis, in qua agnus  
 Paschalis comestus est. 2. cœna commu-  
 nis, in qua usitati cibi appositi. 3. cœna  
 Eucharistica; in qua corpus & sanguis  
 Christi porrectus. 4. lotio pedum. 5. di-  
 scessio Judæ. 6. concio Christi, quæ apud  
 Joannem describitur. Nunc quæstio est,  
 quo ordine hæc omnia gesta sint? quam  
 video à doctissimis viris diligentissime  
 excussam esse. Sunt autem duæ potissi-  
 mæ



mum sententiæ. Una statuit hunc ordinem, ut 1. loco fuerit cœna legalis. 2. lotio pedum. 3. institutio Sacramenti. 4. cœna communis, in qua Christus dedit Judæ buccellam panis. 5. discessio Judæ. 6. concio Christi. Altera hunc statuit, ut 1. fuerit cœna legalis. 2. cœna communis. 3. lotio pedum. 4. institutio Sacramenti. 5. discessio Judæ. 6. concio Christi. Utraque ut magnoſ authores, ita magna argumenta habet. Nolim ego hic de toto ordine disputare: solùm de lotionem & institutionem Eucharistiæ inter nos contentio est. Et quidem si alterutram illarum sententiarum sequamur, res salva est. Ambæ enim lotionem pedum prius factam, ac deinde Sacramentum institutum esse, confirmant. Quod & ego sentio, Balduino. Igitur ex hac parte, melior mea, quàm tua conditio est.

4. Deinde, si relicta authoritate (quæ tamen magni ponderis apud homines cordatos esse debet) vi argumentorum agamus, facile puto me evicturum. Tibi unicum argumentum est; in quo vis nulla, ut paulò ante ostendi. Hæc mea sunt: Primum; Christus lavit pedes Discipulorum suorum, non modo ut exemplum humilitatis eis præberet; sed etiam, ut significaret,



DE COMMUNIONE.

25

ret, mundos esse oportere, qui corpus & sanguinem suum accepturi essent. Hæc autem munditia requiritur ante sumptionem Eucharistiæ: Ergo lotio pedum non est secuta Eucharistiam. Huc spectat illud Apostoli, 1. Corinth. II. 28. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini, quasi dicat, antequam accedatis ad Eucharistiam, excutite & mundate conscientiam vestram, ut puri ac loti accedatis. Alioqui si immundi ac indigni acceditis, sicut Judas fecit; iudicium vobis manducatis & bibitis.*

5. Alterum; Ex Evangelio Joannis constat, Christum servasse hunc ordinem. 1. surrexisse à cœna. 2. lavisse pedes. 3. iterum recubuisse. 4. dixisse Apostolis; *Vnus ex vobis tradet me.* Sic enim scribit Joannes; *Surgit à cœna, & ponit vestimenta sua, & cum accepisset linteum, præcinxit se, & cepit lavare pedes Discipulorum. Et infra. Postquam ergo lavit pedes eorum, & accepit vestimenta sua, cum recubisset, dixit eis; Amen amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me. Hinc ergo constat, Christum post lotionem pedum, iterum accubuisse cum duodecim Apostolis, & dixisse, *Vnus ex vobis tradet me.**

Ex



Ex quo dupliciter te oppugno, Balduine. Primò, si post lotionem pedum, iterum accubuit, & dixit illa verba; ergo Judas post lotionem pedum non statim egressus est, ut tu putas: sed cum aliis assedit mensæ. Potuit ergò interea sumere Euchari-  
stiam. Secundò, hæc verba, *Unus ex vobis tradet me*, prolata sunt post lotionem pedum, teste Joanne: & ex aliis Evangelistis constat, prolata esse ante cœnam Eucharisticam. Cum ergò Joannes & alii Evangelistæ non sint sibi contrarij, necesse est, cœnam Eucharisticam fuisse posteriorem lotioni pedum. Matthæus cap. 26, 20. sic habet: *Vespere autem facto, discumbebat cum 12. Discipulis suis. Et edentibus illis dixit; Amen dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est. Et contristati valdè, ceperunt singuli dicere, Nunquid ego sum Domine? At ipse respondens ait; Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet. Respondens autem Judas, qui tradidit eum, dixit; Nunquid ego sum, Rabbi? Ait illi, tu dixisti. Cœnantibus autem illis, accepit Jesus panem, & benedixit ac fregit, deditq; discipulis suis,*



*Et ait: Accipite & comedite: Hoc est corpus meum, &c.* Adverte hic Balduine. Post verba illa, *Vnus ex vobis me tradet*, sequitur institutio Sacramenti. Quod etiam habent Marcus & Lucas. Si ergo verba illa, secundum tres Evangelistas, prolata sunt ante coenam Eucharisticam; & secundum Joannem, post lotionem pedum: quis non clarè videt, lotionem pedum priorem fuisse coena Eucharistica? Si jam mecum sentis, gaudeo: sin minus, firmiteribus argumentis instructus sis, necesse est.

ἑσώωνυμόν  
εἰς δίκαν  
Ἰησὺ ἐπέειπε  
διακρίσει.

Ea vide

Resp. p. 250

## CAP. X.

*An hoc Sacramento non tantum anima, sed & corpus reficiatur?*

**D**ixeram in mea Disputatione, hoc cibo Eucharistico refici ac nutriri animam; sicut cibo corporali reficitur ac nutritur corpus. Hoc tu reprehendis, tanquam malè à me positum: Et affirmas, nō modo animam, sed etiam corpus refici ac nutriri hoc Sacramento. Sic enim habes

G

pag.



pag. 202. Quod soli animæ spirituales refectio-  
nem tribuere videris, id verò falsum est. Nam  
mens instituentis fuit, ut & caro & anima re-  
ficiatur hoc Sacramento. Et infra; Quem-  
admodum baptismus sanctificationem totius ho-  
minis, corporis ac animæ præstat: ita & cœna  
Domini, corporis ac animæ alimentum est. Ex  
quo fundamento Irenæus corporibus resurrectio-  
nem à mortuis promittit, &c.

2. Sed primùm, immerito me repre-  
hendis. Dixi quidem, animam nutriri hoc  
Sacramento: non tamen dixi, solam ani-  
mam nutriri. Hoc tu mihi affingis. Dein-  
de, te ipsum jugulas. Nam sicut hic asseris,  
& carnem & animam pasci hoc Sacramen-  
to: ita paulò post contrarium scribis ex  
Hieronymo, pag. 278. his verbis: *Est enim  
esca animæ, non corporis.* Postremò, repu-  
gnas tuis principiis. Nam vos Lutherani  
docetis, Sacramenta non alio fine esse à  
Christo instituta, nisi excitandæ & alen-  
dæ fidei causa. At quid hoc ad nutrien-  
dum corpus? x

x  
Tantum ve-  
ritati obstre-  
pit adulter  
sensus, quan-  
tum & cor-  
ruptor stilius,  
inquit Ter-  
tull. advers.  
heres. cap. 16  
Vide Respon.  
pag. 39 40.

3. Ut clarius te intelligam: quid obse-  
cro est in Sacramento, quod carnem refi-  
cit? an corpus & sanguis Christi, prout  
habent præsentiam naturalem, quam tu  
agnoscis? At sic immortalia & alterationis  
incapacia sunt, ut nutrimenti corporalis  
loco



loco esse non possunt. An prout habent  
 præsentiā sacramentalem? At sic fidei  
 duntaxat alenda, ut vos dicitis, ex Christi  
 institutione deserviunt. An potius panis  
 & vinum, quæ ex vestra sententia, manent  
 cum corpore & sanguine Christi? At pa-  
 nis & vinum habet vim reficiendi corpus  
 ex natura sua, non autem ex institutione  
 Christi. At tu asseris, mentem instituentis  
 fuisse, ut caro reficiatur hoc Sacramento. Por-  
 ro, quid ego de hac re sentiam, in schola-  
 sticis prælectionibus significatum est. Hic  
 tuam contradictionem breviter attigisse  
 sufficiat.

## CAP. XI.

*An abstemij possint sub una spe-  
 cie communicare?*

I.

**N**on damnas sententiam Brentii, qui  
 id affirmat. Addis tamen consultius  
 esse, ut integrè ablineant ab utraque spe-  
 cie, quàm ut unam sine alia usurpent; eò  
 quod totum fructum Eucharistiæ possint  
 percipere sola fide, sine externa susce-  
 ptione Sacramenti. Sic enim scribis pag.  
 231. Brentius abstemiis unam speciem concedit.  
*Sed consilium, hoc est, non præceptum.*

G 2

Et



Et infra, pag. 232. *Quidquid autem sit de consilio D. Brentij; optimum consilium est B. Lutheri, satius esse, abstemios prorsus abstinere à sacra cœna, quàm una saltem specie uti. Interim tamen salutari fructu Sacramenti non carent, quo per fidem potiri possunt, etiam extra usum Sacramenti. Consolentur se*

λ  
 τίς οὐ καὶ  
 τοῖον εἶναι  
 λ  
 baptismi suo, qui est stipulatio bonæ conscientie cum Deo. λ

Ἐπεὶ, μαψι-  
 διως ψευ-  
 δολοῦ; Vide  
 Resp. p. 38.

2. Hic primùm consentis cum Brentio, abstemios posse sub una specie communicare. Nunc velim solvas mihi hoc dilemma: Vel jure divino prohibitum est communicare sub una specie, vel non est. Si prohibitum est, cur permittitur abstemiis? Si non est, cur reliquis negatur? Aut sanè illud: Usurpatio unius speciei sine altera, vel est revera sacrilegium & mutilatio Sacramenti, vel non est. Si est, cur permittitur abstemiis? si non est, cur negatur aliis?

3. Præfers tamen consilium Lutheri, ut abstemii integre abstineant. Causam addis, quia possunt per fidem potiri fructu Sacramenti. Porro fructus hujus Sacramenti, secundum te, duplex est: alter, augere fidem; alter nutrire corpus. Si

ergo



ergo abstemij sine Sacramento possunt utrumque fructum percipere per fidem: necesse est fidem ipsorum, quam habent, præstare hunc duplicem effectum. 1. ut augeat seipsam. 2. ut nutriat corpus. At ubi docet hoc Scriptura? aut unde habes hanc doctrinam? Deinde si ita est, quæ potest esse necessitas hujus Sacramenti? Cæteri fideles non sunt deteriores conditionis, quàm abstemii. Si ergo abstemii sine Sacramento possunt omnia habere, quæ alii per Sacramentum habent; quid opus est usurpare Sacramentum? Et si abstemii consolantur se baptismo suo, qui est stipulatio bonæ conscientie cum Deo; cur non alii eodem modo se consolentur? aut quid ulterius quærunt, præter stipulationem bonæ conscientie cum Deo?

4. Hic revocas mihi in mentem, quod supra ad initium notavi. Hoc, inquam, quod solitus sis, cum argumentis Catholicorum urgeri te putas, provocare ad conscientias tenerorum: & itentidem illud occinere: *Sine utraque specie, non satisfi tenerorum conscientijs.* Quomodo, mi Balduine, non satisfi? an non dixisti jam, baptismum esse stipulationem bonæ conscientie cum Deo? Solum baptismum sufficere ad consolandas & tranquillandas



<sup>pe</sup>  
 Iudicari  
 candidius :  
 Vide Resp.  
 pag. 28.

das coram Deo conscientias? Si sufficit, quid opus est utraq; specie? aut quis scrupulus conscientis reliquus esse potest, si per baptismum, stipulationem bonæ conscientiaæ cum Deo nactus es? Collige te

melius. u

### Epilogus.

<sup>v</sup>  
 Malus ubi  
 bonum se  
 simulat,  
 tunc est  
 pessimus,  
 juxta Mi-  
 num.

**H**AC habui, Balduino, quæ breviter ac amice, non tam disceptare, quam conferre tecum volui per epistolam. Accipies, opinor, in bonam partem: & non mea sponte, sed tuo potius impulsu, factum à me esse, interpretaberis. Egissem fortè prolixius; sed quod initio monui, temporis angustia non patitur. Vix biduum absumus à Nundinis; & jam properat Typographus ad mercatum. Et probe tibi conscius es, libellum tuum (cui respondeo) vix lucem aspexisse, & certè jam primùm ad hasce Nundinas proditurum. Igitur aut festinandum mihi fuit, aut responsio differenda. Hoc nolui



lui, illud arripui. Quod autem in hac  
 ipsa festinatione, & parcius fortè, quàm  
 argumenti ratio postulabat, de commu-  
 nione sub utraque specie differuerim,  
 minimè mirum est. Nam quæ aliàs à  
 me de hoc argumento disputata sunt,  
 non videntur tuis Notis magnoperè la-  
 besactata esse, ac proinde nova defensi-  
 one non egent. Unum superest, Baldui-  
 ne. A grè tulisti (ut colligo ex tuo li-  
 bello) quod in mea Disputatione, Lu-  
 theranos cum Calvinistis conjunxerim,  
 quasi indignum ac probrosum sit, bonos  
 viros inter improbos annumerari. Fa-  
 teor me id fecisse. Nego eo consilio  
 fecisse, quo tu interpretaris, quasi sub  
 exolo; ut tu loqueris, Calvinistarum  
 nomine Lutheranos diffamare cona-  
 tus sim. Non ita est. Ideo feci, quia in  
 hoc puncto de communione sub utraque  
 specie, conspirant Lutherani cum Calvi-  
 nistis. Alias, non eram sanè facturus.  
 Scio enim, & jam palàm orbi Christia-  
 no notū est, vos extremè detestari Cal-  
 vinistas. Et cū ita sit Balduine, cur  
 illis prætermisissis, me laceffere voluisti?

&  
 &  
 Neg, parcè,  
 neg, lautè,  
 sed omninò  
 nihil in his  
 chartis de  
 communio-  
 ne sub u-  
 traq, specie.

Nulla cau-  
 sa tam ma-  
 la est, quā  
 peritus ad-  
 vocatus non  
 possit bonā  
 facere.



Si animus pugnandi tibi est, eos expugna, si potes. Et certè potes, si vis. Monstruosa illorum dogmata sunt, qua debellare, non magni laris sit. In eo certamine deinceps te exerce. Si tamen nolis, & mihi molestus esse pergas (quod tibi integram relinquo) à me vicissim PLAGAM expectare oportebit π. Vale mihi Balduine, & ad veritatis semitam regredere: quod tibi, tametsi erroribus anticipatis implicitus sis, difficile futurum nō existimo, si divina gratia operum ac subsidium sedulo imploraveris ρ. Mōguntia, ex Archiepiscopali Collegio nostro, 2. Aprilis, anno  
1610.

π  
Hactenus balusti, jam cornua surris: mimirum ut tuum facias illud canioi: Baccæ bacchanti si velis adversarior, ex insana insaniorum facies, feriet sepius.

ρ Hereticorum non tam minæ, quàm blanditiæ timenda sunt dixit Chrysostomus. Tu de te videris, mi Becane: mihi Dominus providebit. Verissimum est, quod Augustinus alicubi scribit: Non est nisi cum Diabolo, qui non est cum Christo. Cum Christo autem esse qui potest, qui verbis Christi contradicit? Num vos hæc faciatis, cogitas, Becane, & mature cede: Bonum & decorum est, vinci à veritate.

ΕΠΕΙ-



**D**UM hæc scribo, B E-  
CANE, offertur mihi  
tua, quam ante hoc bi-  
ennium edidisti Colo-  
niæ, Disputatio de Antichristo  
reformato, quam, fortè ob tem-  
porum injuriam, in hunc usque  
diem nondum videre mihi con-  
tigit. Fecit ea, ut jam magis,  
magisq; mirari incipiam, cur  
scribas, te non Lutheranos; sed  
Calvinistas delegisse hostes. Si  
enim ita est, quid quæso tibi rei  
cum mea de Antichristo dispu-  
tatione, quam ante quadrienni-  
um habui? (me enim Luthe-  
ranum nominas.)

Attingis particulam ejus e-  
xiguam pag. 17. & 88. thesin ni-  
mirum meam 32. cap. 6. ubi di-  
co, Vaticinium Apocalypseos,

G 5

cap.



cap. 13. de igne, quem Antichri-  
 stus cœlitus producet, intelli-  
 gendum esse non secundum  
 literam; sed de fulmine ex cō-  
 municationis Papisticæ, quo  
 summi sepe reges & Monarchæ  
 throno suo deturbati à Pontifice  
 Romano. *Tu rides hanc inter-  
 pretationem, & hæc omnia secū-  
 dum literam intelligi vis, ex  
 hoc fundamento, quia aliàs loci  
 omnes, qui de productione ignis  
 è cœlo agunt, (puta 2. Reg. 1, 10.  
 & Luc. 9, v. 54.) etiam de Ex-  
 communicatione exponendi es-  
 sent. Hæc tu contra meam the-  
 sin.*

*Ego verò paucis respondeo,  
 1. non omnia in Scriptura habe-  
 re sensum literalem, quod est  
 extra controversiam. 2. Apoca-  
 lypsis*



lypsis in primis tot habet Sacramenta, quot verba, inquit Hieronym. ad Paulin. Et epist. de 5. quest. Marcia dicit, Apocalypsin totam esse spiritualiter intelligendam. 3. Similia habentur in ipsa Apocalypsi cap. 11, 5. 6. de Enocho Et Elia, quod ignis sit exiturus de ore ipsorum, Et devoraturus inimicos Et c. quæ secundum literam implenda esse, nequidem vos Pontificij creditis. 4. De Antiocho Epiphane, Antichristi typo scriptum est, Dan. 8, 10. quod magnificatus fuerit, usque ad fortitudinem cæli, Et dejecerit aliquid de stellis cæli Et c. quæ secundum literam impleta fuisse, non nisi burdo dixerit.

Cur



Cur ergo in antitypo omnia  
ad literam examinas? 5. Præ-  
terea bestiam illam, quæ de ma-  
ri adscendit, & ignem produ-  
ctura est, Pontificij quoq; non-  
nulli de Papa interpretati sunt:  
inter quos honoris gratia nomi-  
no, Ulricum Episcopum Augu-  
stanum, Imperatoris Ludovici  
intimum Secretarium, qui cir-  
ca annum Christi 1321. solitus  
est appellare Johannem XXII.  
bestiam è mari ortam. Num  
autem Pontifex ignem de cælo  
unquam produxerit, aut ele-  
mentariter producere possit,  
vos videritis ô viri Pontifi-  
cij.

Sed desino: jam plus satis de  
uno illo, quod in ista mea Dispu-  
tatione observasti. Si placet,  
porrige



porrige manum Apostatae isti,  
quem (quod ἄνδ. λεχηνείας dix-  
erim) ad silentium redegi, gemi-  
no scripto; videbis me Dei bene-  
ficio, causae meae non defuisse.  
Gratulor interim mihi, imò ve-  
ritati divinae, pro qua verba fe-  
ci, quod cetera omnia intacta  
manserint, hoc est, integra, sal-  
va, & contra omnem Sophisti-  
cen satis munita.

Tu vide interim, quam ve-  
rè scripseris, te tibi Calvinistas,  
non Lutheranos delegisse hostes.  
Prodis nimirum vafritiem tu-  
am, quam sub modestiae pallio  
condis. Noli, quaeso, cuiquam  
persuadere, nobis quidquam vo-  
biscum esse commercij: citius  
caelum terrae commiscebis,  
quam




quàm Confessionem nostram,  
heresi vestra. Oportebat au-  
tem te scire, cuius sit, ESSE  
MEMOREM.

Sed condono tibi hoc pecca-  
tum, cum hac conditione, ne ita  
redeas. Fides non habetur ei,  
qui semel atq; iterum eam pro-  
stituit. Hoc tu ne facias am-  
plius, & mihi vir bonus e-  
ris. Vale, & si sapis,

RESIPI-  
SCE.


FINIS.





















76 4499

ULB Halle 3  
003 916 774




or


VOM 2. 15











Epistola Apologetica  
**FREDERICI**

**ALDUINI,**  
Col. Doctoris ac Profes-  
soris VVittebergensis:

*Respondetur ad Epistolam MAR-  
TINIANI, S. Theolog. Doctoris ac  
Prof. Moguntini, nuper editam, qua  
de Communione sub utraq; specie  
restricta conatus fuit: salva in-  
ter intacta manente veritate  
doctrina Lutherana in hoc  
articulo.*

**IN HONOREM ET AD GLORIAM DEI.**

**WITTEBERGÆ,**  
**IOHANNIS GORMANNI,**  
**ANNO M. DC. X.**

3  
2  
1